



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
6 D
39






# PRODROMVS
## IDIOMATIS
## SCYTHICO-MOGORICO-CHVNO-
## (SEV, HVNNO-) AVARICI.

SIVE,

# ADPARATVS CRITICVS

AD

## LINGVAM HVNGARICAM.



Adcedit

Lex Poetica de *Versa* et *Ligata* Oratione *Hungarica*: item Poema Hungaricum de *Statu Hominis integro et corrupto; caeteris;* tum de *Excellentia Linguae Hungaricae*, atque *utili Liberorum educatione;* et *aliis;* uersibus 4634, iisque heroicis, institutum.

Deinde,

Mantissae loco, ex *Itinerario* XX. annorum *Argumenta* quaedam uersibus 990, itidem heroicis, proponuntur.



AVCTORE

GEORGIO KALMÁR

Philologo, e Comit. Veszpr.

*Cum facultate Superiorum*

*POSONII,*

SVMTIB. IOANNIS MICHAELIS LANDERER.

M. DCC. LXX.



SERENISSIMO

# PRINCIPI,

DOMINO




# ALBERTO,

POLONIAE, ET LITHVANIAE
PRINCIPI REGIO;

Duci Saxoniae, Iuliae; Landgrauio
Thuringiae; Marchioni Misniae, et Superioris ac
Inferioris Lusatiae; Burggrauio Magde-
burgi; Principi, et Comiti
Henebergae, etc.

Sacrae Caesareae, et Regio - Apostolicae
MAIESTATIS per Regnum HVNGARIAE
LOCVMTENENTI Regio, et Generali Armorum
per idem Regnum Capitaneo, etc.

Comiti, et Iudici Iazygum, et Cumanorum; Co-
mitatuum *Pesth*, *Pilis* et *Solth*, articulariter unitorum, Su-
premo ac Perpetuo Comiti; Excelsi Consilii Regii
Locumtenentialis Hungarici, prout et Excelsae
Tabulae Septem - Viralis

PRAESIDI,



DOMINO, DOMINO
GRATIOSISSIMO BENIGNISSIMO,
SALVTEM ET PROSPERITATEM!

SERENISSIME

# PRINCEPS,

## DOMINE DOMINE

GRATIOSISSIME BENIGNISSIME!

Dum cogito meum ego *Inſtitutum* in *Linguam Hungaricam* publicae mox luci committere; atque perpendo, quo id auſpicatius fieri poſſet, et aequum et e Re Hungarica fore, ut idem, non meriti quidem ſui, ſed molis, atque argumenti cumprimis, ratione, par-

tem, AVGVSTAE noſtrae, partem uero, AVGVSTI HEREDIS, dicarem HONORIBVS; atque Opus tamdiv ſuſtentatum Almae EORVMDEM TVTELAE humillime ac obnoxie manciparem: plane urgeor ſolicitudine uiae ac medii, quibus queam, ego quis, Tantorum, tam Altorum, tam que Auguſtorum compos eſſe AVSPICIORVM.

Modum haud inuenio alium: niſi TE, QVI AVGVSTIS tam carus es, QVI CIVIBVS meis, illis AVGVSTAE noſtrae HVNGA-

RIS,

ris, illis Ocvlorvm EIVS Pv-
pillis, adeo adceptus amatusue, geſtiam ac uelim omnino uti Interceſſore.

Indulgeas itaque PRINCEPS Sereniſſime, ut ego memet in TVAM dicare poſſim Clientelam; utque *Prodromus* hic Altiſſimo NOMINI TVO inſcribatur!

Porro quoque demiſſe etiam atque etiam oro, ut, cum hocce meo *ad Linguam Hungaricam Adparatv*, moliaris adparatum atque aditum mihi ad Illam, ad Qvam dudum iam et ſemper anhelo Gra-


TIAM! ILLAM mihi demerearis, TE TE oro, atque concilies!

Interea, quod facio, DEVM OPTIMVM MAXIMVM ardentissimis fatigabo precibus, ut seruet TE diu atque sospitet! Seruet DOMVM AVGVSTAM! augeat ILLAM incomparabiliter, atque felicitet! Sum,

SERENISSIME PRINCEPS,
ALTISSIMI NOMINIS TVI

*Posonii 20 Decembris 1769.*

cultor perpetuus
ac humillimus,
*Georgius Kalmár*






# LECTORI S.

*Mercurium* nobiliſſimi HVNGARORVM *Idiomatis* miſſurus ad Te, Lector beneuole, breui Te proloquio monitum uolui. Inſtitutum meum pro uindicandis excellentiſſimae huic Dialecto iuribus, quae partem antiquata iam uidentur, partem abrogata prorſus, partem uero neglecta atque peſſum in dies itura, longe maiori, quam olim animo conceperam, labore, multo que ſpiſſioribus, quam Orbis cultior forte imaginari queat, Voluminibus conſtabit. Nuntium, quod meo nunc *Mercurio* committo, *primi Voluminis* aliquam modo particulam eſſe, atque ipſum *Argumentum totius Operis* exiſtimandum.

Memini me aliquam huius *argumenti* dediſſe rationem inluſtriſſimo VIRO, L. Baroni VAN SWIETEN, Sacratiſſimae Vtriusque MAIESTATIS Archiatro, naturae quam conſultiſſimo, in epiſtola ad Eum Iaurino data V. Nonas Martias MDCCLX.

" Inluſtriſſimo ac Magnifico VIRO, L.
" Baroni GERARDO VAN SWIETEN,
" Sacratiſſimae SVAE MAIESTATIS
" Apoſtolicae Supremo Archiatro, *Georgius*
" *Kalmár* S. P. D.

" Do quasdam iterum ad TE, inluſtriſſime Domine, lineas. Quia literae ſuperiores nimis fuſae fuerunt, adeo quidem, ut easdem uel relegere, ob interpoſitum aliquod negotium, mihi ipſi non licuerit; ne pluribus TE tunc obruerem, aequum iudicaui.

" Quid *Lingua Hungarica ſuis e ruderibus excitata, atque lapidibus caeſis uiuis que coloribus inluſtrata*, in diſtinctis ſuis Partibus promittat; latius iam dicam.

" Oſtendam in *Grammatica* tantam eſſe Dialecti huius prae caeteris excellentiam, eam dignitatem, ut in admirationem ſui rapiat procul omni dubio quemlibet.

" In

# PRAEFATIO.

" In *Etymologico Lexico* ſingularum, ut hu-
" meri permittent, dictionum *etymon* ita ex-
" quutiam, ut omnes earum, cev *ſinplicium,*
" *uirtutes* tam *primariae* quam *ſecundariae*, fe-
" liciſſimo ac neceſſario idearum nexv exhi-
" beantur ; ſimul que uis *coniunctarum* iuſto
" exprimatur ordine.

" Quo futurum confido, ut *Idioma*, quod
" nunc ſterile atque minus quaſi excultum
" adparet, longiſſime eſſe copioſum, longe
" que cultiſſimum, cunctus Orbis, ſi animi
" non remittat aduerſionem, deprehendat
" manifeſto.

" Quod ad *Onomaſtici* uocabula *propria:*
" *Proprietas* eorum, atque merito ſperandus
" uſus, parem *Etymologi* requiret induſtriam.
" caet. "

Operae quidem eſſet pretium exacte explicare, quonam pacto noſtrum Idioma cum *Ebraeo*, *Chaldaico*, *Arabico*, caeteris, iungi aliqua cognatione potuit: quonam ei modo cum *Perſide* contigerit adfinitas: quanam tamdem uiciſſitudine paſſum fuerit illis ſe iuribus magnam partem priuari; tam comtis ac decentibus, tamque pretioſis ac elegantibus, et *in Europa neutiquam habendis*, fere totum exui

ueſti-

ueſtimentis: quanam porro tempeſtate, quonam frigore, quanam deinde procella, tamtam pullulantium germinum, tamtam florum praegnantium, tamtam et fructuum ſapidorum, ſi maturuiſſent, copiam aduri, dequuti, putreſcere: quo denique caſv, qua ue negligentia, tot arbutos, tot uepres, et infelix fruticetum ſubcreſcere ac luxuriari: ſed haec mitto: mihi nunc parcam, conſulam tempori, iam aliis in rebus occupato, et *Praecurſori* huic indulgeam, neceſſe eſt: idque eo libentius facio, quod magna ſit ſpes, permultos in poſterum, eosque cultos ac induſtrios, fore Hortulanos, qui, addicentibus Auguſtis Auſpiciis, diligentem, ut priſtina Viridario huic amoenitas reconcilietur, nauaturi ſint operam.

Taceo trium remotiorum ad ſeptem triones nationum dialectos; quarum rationem reddere nondum queo: at in *Europa* reliqua non niſi *duas* obſeruaui, *Finnorum* ſcire licet in *Suecia*, et *Cambro-Britannicam*; quarum genius non nihil habeat ex hereditate *aſiatica*. Quanam tenus illis cum hacce noſtra conuenirt; ſum aliquando rationem in *Opere* ipſo habiturus.

Cur autem *Idioma* hocce noſtrum *Hunno-Auaricum* ſit dicendum; perſequuti iam ſunt alii.

aſii. Cur uero *Chuno-Auaricum*, cur ue *Scythico-Mogoricum*; ipſe tamdem in Sermone, quem *Etymologico* noſtro *Lexico* praefabor, abundius exponam.

Hoc in libello habes ideam *Grammatices*, quuius ratione pollicem uibraram atque preſſeram A. 1750 in *Diſſert. Critico Philol. Theol.* Oxonii uulgata; *Scholio* ad uocem *Remphan*: " Nihil obportunius ad rem hanc inluſtrandam " adduci poteſt oppido; nihil adpoſite ma- " gis, quam *Hungaricum* uocabulum *Szombat*: " quo diem *Saturni* et *Dominicum* etiam adpel- " litamus. Sicut enim *lingua Hungarorum*, eam " intellige, quae purior atque genuina, ſcilicet " ab adſcititiis uocibus, quas, poſt fixam " *Hunnis* et *Auaribus* in *Pannonia* ſedem, a " circumiacentium nationum mutuata diale- " ctis eſt, discernenda purganda ue, lingua- " rum *orientalium* eſſe ſe propaginem iure me- " rito gloriatur: atque quidem, ſi ſpectes " *eius indolem*, ſi *idiotiſmum*, ſi *ſinplicitatem*, ſi " conſideres eius *analogias*, ſi porro *deriuandi* " *rationem*; permulta ſunt ei praeſertim cum " *Hebraea* communia (id quod uberrime de- " monſtrare in animo mihi eſt, ubi, ſolum " repetiturus natale, *Grammaticen* Idiomatis " *patrii* omnino nouam; utpote tentatam " ab aliquo fortaſſe; ſed a nemine, quod

"ſciam,

" ſciam, publici factam iuris ullam, fuero fa-
" bricatus, et cum Orbe Literato communi-
" carurus): ita dictio *Szombat* procul omni
" dubio a שבת, *ſabbath*, deducitur. Qui er-
" go *m* inrepſerit; eſt in promtv ratio. "

Commemoraui laudem Idiomatis huius in *Vetere ſine Maſoretharum punctis hebraiſandi Via*; Anno 1760, *Geneuae* typis expreſſa — " Ne-
" que *ſubpletur* uſus *ille participii, uerbo* aliquo
" *ſubſtantiuo*; uti fieri ſolet aliis in linguis
" omnibus. Vnicum Idioma *Hungarorum*,
" quod *orientalibus* originem indolem ue ſuam
" debere gloriatur, ut in multis, ſic in hoc,
" quadam tenus ſubfragatur *Hebraeo*. Quippe
" *Hungarus* de *claſſe tertia*, uel *tertio* quodam
" indiuiduo, quidpiam *praedicaturus*, uerbo-
" rum *eſt* et *ſunt*, tum etiam aliorum, quae
" horum uices explerent, uſum omnino re-
" cuſat. "

Idem contendi in libello quoque *Halis* 1768 edito; qui inſcribitur — *Εισαγωγη εις το Εβραικον Ιδιωμα κατα τους Εβραιων Αρχαιους· ηγουν, ανευ των κεραιων των Μασορεθων.*

" Της αυτης (Εγκλιστως Οριστικης) ὁ παρακειμενος οριζει
" πολλακις και το ενισαμενον, και μαλιστα το συνεχες τοις παρατεταμενοις
" μενοις Ως επι το πλειστον δε ἡ Μετοχη το παρον σημαινει. . . .
" Σημειωτεον ενθαδε, οτι συχνακις και χαριεντως εκφερεται το ει-

„ ισα-

" ισαμενον, και μαλιϛα το διατελουν, και παραθετῳ τινι ονοματι,
" ουσιαϛικῳ τε και επιθετῳ οιον· גדול יהוה וחסיד

" Ουκ εϛι δε χρεος του αναπληρωθηναι περιφραϛικως, μητε της
" Μετοχης, μητε του παραθετου ονοματος την χρησιν ταυτην, υπαρ-
" κτικῳ τινι ρηματι· ωσπερ χρη παρα ταις γλωτταις των Ευρω-
" παιων απασαις, εκτος του των Ουννο-Αβαρων ητοι Ουγγρων
" Ιδιωματος απο των Ανατολικων Διαλεκτων, εχοντος την αυτου προσ-
" ηγοριαν και ιδιωτισμους. "

Volupe mihi equidem erit, uolupe Tibi, Lector, uolupe magſime Ciuitati *Hungaricae*, laudes Virorum palmariorum, qui de hac Dialecto noſtra bene meriti ſunt, tempore ſuo decantare ac praedicare; ubi omnium, in quocumque genere, Scriptorum omnem Orationem, omnes periodos, enunciationes omnes, omnes loquendi modos, omnia ſermonis uerba, neruos ac tendines, et copulam omnem, cenſorio noſtro calamo ſubiecerimus: interea nunc quoque dicam aliquid.

Poſſem duos Praelatos commemorare; quorum ſcripta magnam partem hungaricum ſtilum redolent. Poteris ea, quae ex adfectv, Tibi, iudicabuntur orta, negligere.

*Gyöngyöſi* fuit re uera Hungarus. Quamuis in leges Orationis, qua ſe delectauerat, identidem peccarit: coniici poteſt, eum ad

cul-

culturam Idiomatis noſtri permultum fuiſſe collaturum, ſi *Criticorum* aetate uixiſſet.

Praenobilis *Paulus Rádai* adeo ſe et ſermonem paruo ſuo commendauit opuſculo, ut plurium ſane Operum reliquerit nobis deſiderium.

Vita eccleſiaſtica atque literaria defunctus *Petrus Bod*, et alii non ita pauci, praecipue denati quidam, ſatis adcurate ſcripſerunt: erratorum numerus initur facile. Sed *incidentes Propoſitiones* multo habent cumulatiores, quam indoles huius Dialecti patiatur ac elegantia.

*Parentheſis* noſtra, ſi *pronomen* adſit *relatiuum*, ſex, ad ſummum, uocibus comprehendenda eſt: *ſine eo* uero tribus concludatur, oportet. Quo enim breuior eſt; eo comtior atque elegantior: quo porro ſignificantior, eo excellentior cenſenda: quo denique magis neceſſaria; eo delicatior eſt, eo plus habet ſalis atque condimenti.

Caeterum Sermo noſter *cuneos* illos perraro, ſolummodo *cuneolos* admittit. Quisquis ergo es, ne *uis* ei fors inferatur, da operam. Deſine iam, deſine, quaeſo, peregrinum ſtilum, ſev latinum, ſiue gallicum, ſiue germani-

nicum, ſiue quemcumque demum alium, imitari.

*Verſa* interim tamen *Oratio*, *ligata* cumprimis, quo plures quo ue longiores recipit *interſertas* eiusmodi *enunciationes*, eo ſaepiſſime uidetur eſſe et condirior et grauior ac magnificentior.

Vale ac ualeto, Lector popularis, et, cum aemulis, amabo, dato operam, ut omnium in *Hungaria* atque *Dacia* prouinciarum dialectus obſeruetur; ad locupletioris aliquuius *Dictionarii* filum, omnes uoces ac modi loquendi, ipſi quoque *accentus*, notentur diligenter; et mox, ſi DEO uiſum fuerit, reuerſuro mecum amice communicentur. Poteſt enim fieri, ut ea, quae Tibi rudia nunc ac inſolentia fors adparent, iis, quae culta magis uidentur, ſignificantiora ſint ac elegantiora magis que propria. Luxuriantur enim et aberrant aliquando cultiores: uulgus adeo ſaepe habet rectius.

Non multum quidem eſt opinione mea, ſed nec Tua, ſic reor, adeo parum, propriis haec omnia, quae propino, auribus obſeruaſſe. Interea ſit quorumdam liuentibus, aliorum uero marcentibus, quos expertus fueram, oculis uenia. Caritas mea ſemper ſibi ſimilis, ac

 ea-

eadem, ponit *animos* ipſos nec liuuiſſe nec marcuiſſe.

Vale, inquam, mi Lector! et animi Tui cogitata quaelibet, habita magſime Tuorum erga DEVM et CHRISTVM eius, erga IMPERANTEM et REGNVM, erga Te ipſum, et alios omnes, officiorum, atque mentis recti conſciae, ratione, *hoc in Idiomate, elegantium omnium elegantiſſimo*, uerſa, ligata cumprimis oratione, promturus, certato. Experieris in eo Linguarum orientalium *figuras, alta ſenſa, ſignificandi uim, adinuentiones* et omnem *ſpiritum*, ac *indolem*; turcicae *flores*; *profunditatem* anglicae; gallicae *fluiditatem*; *ſuauitatem* italicae; germanicae *grauitatem*; *copiam* slauonicae, praeſertim antiquae; graecae *foecunditatem*, *elegantiam* et *ſuadam*; *ornatum* ac *decorem* latinae; atque *modum* Laconum: et, quidquid demum Orbis cultior deſiderauerit, *in eo*, inquam, experieris. Experieris haec admodum eſſe nobis familiaria. Experieris *Euphratem* eius que *riuales*; *Tameſin* et *Camum*; *Rhodanum* et *Sequanam*; *Tiberim* et *Arnum*; *Iſtrum* et *Albim*; deinde ipſum *Eurotam*, prono Tibi alueo fluere; denique *Boſphori Thracii* europaeam et aſiaticam reciprocationem, atque *maris aegaei* refluum aeſtum per uices iteratas redire.

Vale


Vale Tv quoque Lector peregrine! Vale etiam atque etiam: et, si Tibi auctor esse aut suasor audeo, intuitv *exercitationis*, ante, quam uberiori nostro *Lexico* potireris, utitor *Dictionario Francisci Páriz Pápai*, nuper admodum, eleganti cura *Petri Bod*, *Cibinii* recuso, eoque duobus modis adaucto.

Progressus eo maiores facere cupiturus, intra breue tempus habebis et *Grammaticam*, eamque multimode locupletem ac utilem; Nobile *Farkas*, quo, uti mihi relatum est, praelegente, Augustissimus IMPERATOR noster (QVEM DEVS O. M. seruet ac felicitet!), item Serenissimi Archi-Duces FERDINANDVS, atque MAXIMILIANVS (QVOS DEVS itidem sospitet!) hanc Dialectum adripere coeperunt, comstructore. Quam, etsi non uiderim, uel hoc nomine commendem, quod faber ipse aliorum etiam et quidem multorum eam limis commiserit.

Vidi uero in scriptis luce et usv Vestro dignam *Phraseologiam Hungarico-Germanicam*, Nobile *Adami*, qui beatae memoriae Archi-Duci CAROLO Linguae huius cognitionem feliciter inpertierat, auctore. Eius ut expetatis editionem, et sortiri eamdem satagatis, moneo hortor que.

 Illa

Illa tamen longe praeſtantiorem et uerborum et loquendi modorum collectionem, aſt cum *latina* interpretatione, exſpecta a Clar. Viro, *Ioanne Varjas*, LL. OO. Profeſſore *Debrecinenſi*, amatiſſimo nobis populari, et huius rei amatore maximo. Curatiorem, inquam, ab eo exſpecta: quod is felici gaudeat occaſione dictiones patrias, ſi non ex omnibus, certe ex plerisque prouinciis congerendi atque conferendi; ſimul que nactus ſit ſocios et amicos, eloquentes illos et puritatis linguae ſtudioſiſſimos *Szilágyios*. Scripſi *Viennae Auſtriae* VIII. Idus Apriles M. DCC. LXIX.



ÇA-



# SECTIO




## *De Literis, earum que poteſtate.*

§. I.

HVNGARI, prout audiunt, *Europaeorum* ſe mori et ritibus adcommodaturi, *Literis* Maiorum reiectis, adoptauere *Gottbonum* prius, poſtea uero *Latinorum*, *Italorum* etiam, Characteres. Quum autem paucis horum *elementis* ſingulos, quibus gaudent, *ſonos*, quorum numero ſuperant omnes *Orientis* et *Occidentis* nationes, exprimere non poſſent; ex iisdem *ſinplicibus alia* quoque *compoſuere.* Plura tamen compoſituri procul dubio fuiſſent, ſi *delicatiorum ſonorum*, ſi *elegantiae*, ſi denique *culturae ſermonis* adcuratam habuiſſent rationem.

§. II. En ſeriem *literarum*, quibus hodiedum utimur. A, a, á. B, b. C, c: CZ, cz, alias TZ, tz: CS, cs; alias TS, ts. D, d: DS, ds: DZ, dz. E, e, é. F, f. G, g: GY, gy. H, h. I, i, í. K, k: kv (pro, qu): ks (pro, x). L, l: LY, ly. M, m. N, n: NY, ny. O, o, ó: Ő, ő, ſev ö, ő. P, p. R, r. S, s (finale), ſ (initiale): SZ, sz, ſz. T, t: TY, ty, U, u, ú: Ű, ű, ſev, ü, ű. Z, z: 'Z, 'z. J, j. V, v. *A, a, á. B, b. F, f. S, s, ſ: sz, ſz.* caet.

§. III. Ego uero has adhibeo *Figuras*, eas que libenter meis, meis, inquam, et meorum amantibus, commendatas habeo. A, a, á, â, à. B, b. C, c: CH, ch: CZ, cz: CS, cs. D, d: DJ, dj, dj: DZS, dzs: D's, d's: DS, ds: DZ, dz. E, É, e, ë, ê, é. F, f. G, g: GY, gy: gj: gj: Gyz, gyz: Gyzs, gyzs, (alias, gyz', uel, gy's). H, h. I, i, í, î. J, j, j. K, k: Kh, kh: Kv, kv: Ks, ks. L, l: Ly, ly: lj: lj. M, m. N, n: Ny, ny: nj: nj. O, o, ó, ô, ò: Ő, ő, ő: Ö, Ö, ö, ő: Ö, ő. P, p: Ph, ph. Q, q. R, r. S, s, ſ: Sz, sz, ſz: 'S, 's, 'ſ. T, t: Th, th: Ty, ty: tj: tj: Ts, ts, tſ: Tz, tz. U, u, ú, û, ù: Ű, ű, ű: Ü, ü, ű: Ű, ű. V, v. Z, z: ZS, zs: Z', z'. X, x. Y, y. ***A***, *a*, *á*. *â*, *à*. *F*, *f*. *S*, *s*, *ſ*. *SZ*, *sz*, *ſz*. caet.

Singulis itaque *compoſitis* pro totidem *literis*, ac *ſonis*, adceptis, ſciendum eſt *ita* nobis *legi*, quem ad modum *ſcribimus*: neque ferri, ut ulla umquam *uocalis*, quae ſcripta ſit, *cum alia comfunditur*, aut quapiam tenus *abſorbeatur*. Ideoque non indigemus diacritico in *oe* (*oë*); ex. gr. *Goël.* Scribimus *Góel.*

§. IV. *Adfines* literae ſunt: *b*, *v*, *f*. *p*. item, *b*, *p*, *m*. item, *m*, *n*. item, *l*, *n*. item, *l*, *ly*, *j*. item, *n*, *ny*. item, *l*, *r*. item, *d*, *t*, *z*, *ſz*. item, *zs*, *d*. item, *z*, *zs*, *s*, *sz*. item, *z*, *cz*, *tz*. item, *cz*, *tz*, *ſz*. item, *s*, *cs*. item, *t*, *ty*, *ts*, *tz*. item, *k*, *t*, *ty*, *ts*, *tz*. item, *k*, *g*, *gy*. *gyzs*, *dzs*, *ts* item, *d*, *g*, *gy*, caet. item, *j*, *gy*. item, *z*, *gy* item, *d*, *dj*, *gy*, *gy's*, *d's*, *ds*. item, *dj*, *gy*, *gyzs*, *gyz*, *dz*. item, *k*, *kh*, *b*. item, *k*, *kv*, ſev *q* item, *kv*, et *v*. item, *x*, ſev *ks*, et *s*. caet.

§. V. Poteſt oriri *mutatio* etiam ex *nationis* aut *prouinciae*, aut uero *ciuitatis* aliquuius *habitv*; aut ex *naturali* quuiusquam *uitio*. ex. c. Polonorum *rz*. Praeterea eorum alii dicunt *ziem*, alii *viem*, alii *jiem* (ſcio). In ciuibus *Marſalliae*, et *Noui Caſtri* Septem-

ptemtrionalis Angliæ, *uitium linguae* populare eſt in proferendo *r*: quod neque puto corrigi poſſe, niſi in illis, qui loqui incipiunt, usque ad annum aetatis 8. Vidi in Prouincia *Peſtienſi*, in quodam prædio *Káva* dicto, nobilem puerulum 3 annorum, qui loco *m* initialis protulit *r*; alibi *m*. Videram et in *Anglia* iuuenem *Traiecto ad Moſam* ortum, caeteroquin elegantiſſimis ornatum moribus, qui pro *r* ſemper *v* pronunciarat. v. cauſa: *Maeſtricht is very far from here*: *Máſtvik is vevi fáv fvom hiv*. Valachi in uocabulis latinae originis frequenter mutant ſonum *k*, id eſt, *q*, et *c* (ante ſonos maſculinos *a*, *o*, *u*, et conſonas) in *p*. ut: *apa*, *patro*, *nopte*, *üntzeleptul* (intelligens, ſapiens), ab, *aqua*, *quatuor*, *nocte*, *intellector*. Pari modo dicunt quidam *pite*, pro *kite*, alias *pujne* (*panis*). Eorumdem non pauci pro *b* proferunt *gy* quam frequentiſſime. ut: *Szigyin. gyiné*, (etiam *jiné*); pro *biné* (bene), *Szibin*, Cibinium. *Berolinenſes* et *Halenſes*, alii que in *Saxonia* inferiore *g* ſemper proferunt uti noſtrum *j*, ſiue, uti *Hebraei*, *Graeci* et *Latini* initiale *i*, ante aliam uocalem. Hinc non uidetur mirum, quod *Anglo-Saxones* toties mutarint *teutonicum g* in *y*. ut: *ſay*, *way*, a *ſage*, *weg*. Itali uti latinum *l* mutant in *i*; ita latinum *r* in *j*. Graeci eadem ratione deriuarunt *Aigyptos*, Αιγυπτος, ab *Al-Koptos*: *Koptos* antiquum nomen *Aegypti*; *al* uero articulus arabicus. *S* finale *Laconibus*, ipſis *Spartanis*, tam ore quam calamo per *r* fuerat expreſſum. Id merito quidem inſolens cenſetur: mihi tamen non uidetur eſſe tam inſolens, atque ſubpreſſio finalis *s* in ore *Francorum*. Sum ſexcenta alia, quae mihi obſeruare licuit, ipſi *Operi Hungarico* inſerturus.

§. VI. Noſtrum *A* triplex eſt; *longum*, *breue*, et *anceps*.

 1.) *Lon-*

1.) *Longum* adficitur accentv *acuto*; ut, *á*, *á*: *Nem várják azok a fël-támadást.* Quod aliquando diphthongus eſt, ortum uidelicet ex duabus uocalibus *aa*, uel *ao*. v. gr. *atyaat* comtrahitur in *atyát* (*patrem*); *atyaok*, *atyaom*, et *atyaoink*, comtrahitur in *atyák*, patres, *atyám*, pater meus, et *atyáink*, patres noſtri. Eſt tamen certa dialectus, quae pronunciat *atyaom*, *atyaod*, *atyao* (quibusdam, *atyajo*, *atyaja*) *atyaonk*, *atyaotok*, *atyaok* (quibusdam, *atyajok*), *atyaat*, caet. Sic *fát*, *fák*, *fáké*, caet. diphthongus: at *fáé*, *fától*, uocalis. Longum *á* profertur uti longum et acutum *a* Germanorum praeſertim ante *h*: uti Gallorum *a* in his, *tant ouvrage*: uti Italorum longum *a* in *chiamare*: uti Anglorum diphthongus *aw*, et *au* in *Paul*, *law*, *ſhaw*: uti cultioribus eorum profertur *oa* in *abroad*; et *ou* in *ſought*, *thought*: uti Belgarum diphthongus *aa*, et *ae*: uti Polonorum *a* in *Pan*. Auſtriacum uulgus profert ut *ó* longum; uti Iudaei Europaei ſuum *kámetz* (*kómetz*). *Coptitae*, alii que *Aegypti* incolae, item *Cziganni*, tum *Slauonii*, tum etiam *Hungari*, qui Sarmatiam incolunt et adcolunt, longum *a* non poſſunt aliter, quam *anceps*, proferre. Placet quibusdam Hungaris Nobilibus, quamuis inproprie, *proprium Nomen*, ſi longum *á* requirat, duplici *aa* exprimere.

2. *A breue* natura *tale* eſt: quod non acuitur. v. c *atya*, *fa*, *akarat*. Poteſt tamen *poſitione* aut *neceſſaria* (ut, *tart*, *ball*), aut uero *ficta* longum fieri; atque, poſteriorem ob rationem, *graui* quoque *accentv* adfici. ut: *ànak*, *àtól*, *àba*, *àban*, *àra*, *ſalàkal*, *vadàkal*, *vadàb*. caet. quae perperam ſcribuntur hodie, *annak*, *attól*, *abba*, *abban*, *arra*, *ſalakkal*, *vadakkal*, *vadabb*. Hinc eſt, quod quibusdam ſcribatur etiam *ammint* pro *a-mint*. Etſi *Graeci* ſemper ulti-

ultimam ſyllabam adficiant *graui* iſthoc *accentu*: uiſum eſt mihi *eumdem beic* adhibere, ut, eo pacto, hancce natura *breuem*, ſed *poſitione longam*, *uocalem*, a *longa* ipſa, quae *natura* talis eſt, tum etiam a *diphthongo*, diſtinguerem. *Prolatio* uocalis huius non diducit labella plus quam *breuis aliquuius* pronunciatio: morae tamtummodo parit aliquid. quippe, quum *eleuatur*, uidetur nobis *ſequentem conſonam adripere*, atque demittendo eamdem quaſi *geminare.* Idem plane adcidit literis, quas Arabum *tesdid*, et Maſoretharum *dagesh forte*, quod uocant, adficit. Quae quidem notulae indicant eiusmodi characteres ad modum *geminorum* proferendos, haud uero *duplices* ea tenus eſſe: namque *ratio geminationis* non in conſonis ipſis, quae *geminationem ſimulant*, ſed in praecedenti uocali poſita eſt procul omni dubio.

*A breue* ſonat ſemper uti Gallorum, Italorum, Saxonum, Ruthenorum et Polonorum *a* in *la*, *da*, *ta*, *ja*. Uti Anglorum *a* ante duplices conſonas, ex. c. *call*, *attempt*, *annexed*: uti *ow* in *knowledge* (*naledzs*): uti *u* in *cut*, *hurt*: item uti *o*, facundioribus eorum, in *God*, *on*, *or*, *covenant*, *honeſt*, *conclude*.

Breue *a* Hungaris quibusdam ſaepe *producitur* uel *acuitur*: quod elatioris animi certiſſimum eſt indicium. ex. c. *á mint volná*, pro, *a-mint volna*. Haud imitandi quidam praecones et cantores breue *á* proferunt uti *e apertum*, longum uero, uti *é*: haud ſuauiter. Quidam Cauſidicus, ad maiorem Pannoniae lacum, in loquendo ſemper *e* pronunciauit a puero.

3. *Anceps A* (quod alias *commune* mihi dicitur eo, quod *in metro*, pro poetae arbitrio, nunc *produci* mox *corripi* poſſit, ideoque *circumflexo* notatur; *d*) in inflexionibus ac deriuatis *breuiter* ſonat ut pluri-

rimum uel certe frequenter. ut: *nyár* (aestas), *nyarat*, (*nyárt*), *nyarak*, *nyaram*, *nyaral*, *nyaras*. Huc referuntur ea, quae uni dialecto *acuuntur*, alii uero *rapiuntur*. ut: *ád*, *ad* (dat). Anceps hoc *a* sonat fere uti Germanorum *a* in *offenbar*, *friedsam*: uti Anglorum *a* in *warm calm*: uti in quadam *Heluetiae* parte meridionali profertur *e* in uoce *weg*, id est, *wag*.

§. VII. *E* triplex est; *longum*, *breue* et *anceps*. 1.) *Longum* adficitur accentv *acuto*. ex. c. *kevély lélëk*, *negédës nép*, *fél* (timet). Aliquando *diphthongus* est, ex *ee* uel *eë* contracta. ut: *kezét*, *szűlét*, pro *kezeet*, *szűleët*; alias *szűlőt szűlöét*. Sic, *szűlém*, *szűléink*, pro *szűleëm*, *szűleëink*. Sonat uti Anglorum longum *a* et *e*, ac diphthongus *ai*, *ay*, in his *name*, *save*, *mere*, *severe*, *may*, *plain* (*ném*, *szév*, *mér*, *szevér*, *mé*, *plén*): item Gallorum *é* ac diphthongus *ai*, *ay*; *supposé*, *mais*, *essay*: uti Germanorum *ee*, aut longum *e* sequente *h*; *nehmen*, *sehen*: uti quorumdam Heluetiorum diphthongus *ei*, et *ey*: uti Italorum *e* in *poteva*, *aveva*: uti Hollandorum duplex *ee*.

Non modo peregrini plerique, magsime *Illyrii*, *Slaui*, caet. sed etiam ipsi nostri populares, qui trans Tibiscum degunt, praecipue plebeii *Debrecinenses*, nostrum *é* semper proferunt uti longum *i*. ex. c. scribunt, *nép*, *lélek*, *ép*; at eferunt *níp*, *lílëk*, *íp*. Porro nostrum alii dicunt et scribunt *újít*, *készít*, *szerint*; alii uero; *újét*, *készét*, *szerént*. Et Anglorum alii quidem ut *é*, alii uero ut *i*, proferunt diphthongum *ea* in his, *peace*, *instead*, *reason*. Hinc potest dirimi uana illa contentio inter *Etacismi* atque *Itacismi* patronos in Germania. Graecorum H comtendunt quidam *e*, alii uero *i*, pronunciandum. Doctiss. *Alexander*, nuperrimus Professor

ſor Gymnaſii *Bucbereſtini* in *Valacbia*, locupletibus urſit argumentis aduerſum ſuam nationem, non *ita* ſed *éta* eſſe proferendum: id que ſuis comſtanter inculcauit. Et ſane *e longum* eſt; obpoſitum τῳ ε ψιλῳ, ut breui. Hodierni Graeculi omnes *i* proferunt. Ego quidem nec his nec meis popularibus uerto uitio. Interea Itaciſmi Patroni definiant prius, utrum cum Graecis, *tris Iconomi*, an cum Romanis, *tres Oeconomi*, ſit pronunciandum. Decidant prius litem popularem ac domeſticam; utrum *tűtcb*, an *tötcb*, aut *tőjtcb*, aut *tejtcb*, uel *tájtcb*, aut *tátcb*, aut uero *te-utcb* debeat proferri.

Etſi minus proprie fiat; placet tamen quibusdam Hungariae Nobilibus *Nomen proprium*, aut *cognomen*, ſi longum *é* deſideret, duplici *ee* oſtentare.

2. *E breue* eſt duplex; *apertum* et *compreſſum*. a) *Apertum* eſt in his, *felel*, *felelet*, *feleletnek*. Idque ſonat uti Arabum *Pbata*, i. e. *Pbete*: uti Turcorum et Perſarum uocalis in *ben*, *men*: uti Anglorum breue *a*; ex. c. *man*, *am*, *tbat*, *Arabic*: uti eorumdem *e* in his, *let*, *tben*, *former*: uti Gallorum *e* in his, *mes*, *cet*: uti Italorum *e* in *per*: uti Germanorum *e* in *der*, *unſer*: uti Belgarum *e* finale in Verborum infinitiuis: uti Ruthenorum, Illyriorum, caeterorum, finale *e* in 1*ma* et 2*da* perſona plurali praeſentis temporis: uti Polonorum *e* in *dzenkuje*. *E compreſſum* reſpondet Anglorum breui *e*, et finali *o* ac *ou* in his, *ſeveral*, *manner*, *notion*, *Thomſon*, *Doctor*; *bebaviour*: reſpondet Gallico *e* in his, *ſera*, *depôt*: Italico *e* in *paleſato*: Germanico *e* in *gewiſs*, *bekannt*: Belgico *e* in articulo *de*: Illyrico, Slauonico, Ruthenico et Polonico *e* in ſingulari Genitiuo maſculino *ego*.

Auctor eſſem, ut noſtri typographi probe hoc *e* ab *aperto* illo diſtinguerent, *duobus punctis*

*superne adiectis* (*ë*): idque eo magis, quod sonus eius adcedat ad sonum breuis *ö*; imo a magna Vulgi nostri parte proferatur uti *ö*: ex. c. *ékësen*, *këllemetësen*, *lëlkëd*: *ékösen*, *köllemetësen*, *lölköd*. Facile quiuis persuadere sibi poterit operae pretium esse, ut illa, quam suadeo, distinctio adhibeatur. ex. c. *feles*, *felez*; *fëlës*, *fëlëz*, quidam *fölös*, *föløz*. Sic *vefz*, (perit), *vëfz*, (sumit, emit), quuidam plebi, *vöfz*. Item, *efz*, ingenium; *ëfz*, edit, alias *ëfzik*.

*α*. Potest utrumque *e* longum fieri *positione* aliqua; atque in eo casv *graui accentv* adfici. v. c. *Istènel*, *lèlèkel*, *lëlkèkel*, *èfzel*, *nëmësèb*; pro *Istennel*, *lélëkkel*, *lëlkëkkel*, *efzfzel*, *nëmësebb*. *β*. Facile haec mihi largientur cultiores, qui posterius *s* ex aduerbiis in *sen*, *san*, proscripserunt. ut: *ékësen*, *sziuesen*, *bafznosan*, *magasan*, caet. pro *ékëssen*, *szivessen*, *bafznossan*, *magassan*. caet. *γ*. Indulgeri nihilo minus et potest et debet, ut idem, si metrum requirat, reuocemus: idque eo magis, quod plebeiis plerisque semper geminetur. Ideoque praecedens illa uocalis inter *communes* mihi referetur.

3. *Anceps* est *e*, quod *acuitur* quidem, at in deriuatis ut plurimum aut certe frequenter *corripitur*: uel, quod uni dialecto *protrahitur*, alii uero *adbreuiatur*. ut: *én*, *en* (ego): *éfz*, *efz*, ingenium: *kötél*, *kötel*: *nyér*, *nyer*: *mégyëk*, *mëgyëk*: *véfzëk*, *vëfzëk*: *téfzën*, *tëfzën*: *léfzën*, *lëfzën*: *véfz*, *vëfz*. *Tél*, *telet*, *telel*: *név*, *nevet*, *nevek*, *neve*, *neves*, *nevez*: *fél* (dimidium), quuidam plebi *fel*; hinc *felet*, *feles*, *felez*: *nékëm*, *nekëm*: *néköd*, *nekëd*. caet. Ars dicendi uidetur exigere, ut *anceps* syllaba, si *penultima* sit, *acuatur*, ubi Orationem, uel Enunciationem aliquam *claudit*: alibi uero aut semper aut certe plerumque *adbreuietur*.

§. VIII.

§. VIII. *I* quoque triplex habemus; *longum, breue* et *anceps.* 1.) *Longum* in uocabulis finplicibus haud ita multis obtinet: sed in deriuatis uerbis formae *Hipbil*, eorum que propaginibus abunde: *készit*, *szabadit*, *tisztit.* Curatioribus acuitur. Sonat uti Anglorum diphthongus *ee*, et *ei*, atque *ie*; *sheep*, *leigh* (*li*), *perceive*, *piece*: uti eorumdem *i* in *sanguine.* Caeterum, Angli suum *i* longum proferunt uti Saxones diphthongum *ei*, *ey*, *eu*; v. c. *time* (*tájm*): alii uero, uti Hungari plerique, item Germani non pauci, et ipsi Angli Graecorum diphthongum *ει*: (*tejm*). Sonat nostrum *i* uti plerorumque Heluetiorum et uicinorum diphthongus *ei*, *ey*; *sein*, *seyn*: uti Belgarum atque Germanorum diphthongus *ie*: uti Gallorum et Italorum *i* in *ecrire*, *sentiva.*

2. *I breue* frequentissimum est, quamuis abusiue. *Idëgën*, *fiú*, *szëri*, *szërzi*, *bizonyos*, *idő*, *igën*, *mulik*, *igy* (sic), *őriz.* Sonat uti Anglorum *i* in his, *it*, *is*: uti eorumdem *e* breue in his, *he*, *she*, *be*, *me*: uti Gallorum et Italorum *i* in *il*: uti Germanorum breue *i.*

3. *Anceps* est *i*, quod in deriuatis *rapitur.* porro, quod aliquibus semper *protrabitur*; aliis uero semper *adbreuiatur*: *bizom*, *bizom*; *irok*, *irok*; *irás*, *irás*; *szive*, *szive*; *szives*, *szives*; *igy* (causa), *igy*; *igyem*, *igyem* (ügyem), *mig*, *mig.*

§. IX. *O* pariter triplex est; *longum*, *breue*, et *anceps.* 1.) *Longum* acuitur. v. c. *àtól*, *àból*, *àról*, (uulgo *attúl*, *abbúl*, *arrúl*); *bajóé*, *bajónak*, *bajótól.* Aliquando diphthongus est. ut: *bajót*, *bajók*, pro *bajóat*, *bajóak.* Certae dialecto profertur *bajóat*, *bajóak.* Sonat nostrum *o* longum, uti Anglorum diphthongus *oa*, et *ow*, item uocalis longa in his, *both*, *more*, *quote*, *no*, *so*, *oath*, *snow*, *slow*, *show*, *follow* (*foló*):

 uti

uti Gallorum diphthongus *au* et *eau*, atque uocalis *o* in his, *Paul*, *beau*, *depôt*, *ſuppoſé*: uti italicum *o* in his *ſola*, *coſa*. Reſpondet belgico *oo*; *door*, *koope*, *ook*: germanico *oo*, et *o* ante *h*, alii que acuto *o*; *obne*, *oder*, *Gebot*, *alſo*. Sonat uti Ruthenorum *o* in terminatione ſingulari Adiectiui neutrius.

Quidam Hungariae Nobiles *Nomina* uel *Cognomina* ſua ſcripturi, loco longi *ó* duplex *oo* adfectant; ut, quod *proprium* eſt, *inproprie* exprimant.

2. *O* breue eſt in his, *ſok*, *ok*, *koros*, *azokon*, *okokon*, *bozat*, *vadjon*. Quod tamen alibi produci poteſt poſitione, atque etiam *graui accentu* adfici; *boztam*, *òkal*, *ſòkal*, *azòkal*, *nagyòb*: uulgo, *okkal*, *ſokkal*, *azokkal*, *nagyobb*. Sonat id, uti Anglorum *o* in his, *us*, *but*: uti Gallorum *o* in *on*: uti Italorum, Belgarum et Germanorum breue *o*: uti Ruthenorum *o* in *korol*, *gorod*: uti Polonorum, in *slova*. Scotis *o* breue ſonat uti *u* breue. Commune idem eſt cum *Iudaeis* in Europa non paucis; item cum *Armenis*, et quibu dam *Italis*.

3. Anceps *ó* in deriuatis et inflexionibus ut plurimum, aut frequenter, aut certe interdum corripitur. *tó*, *tava*: *bó*, *bava*, *bavat*, (quibusdam *bót*), *bavak*, *bavas*, *bavaz*: *ſzó*, *ſzova*, *ſzava*: *jó*, *jova*, *java*, *jovall*, *javall*. *Jó*, inquam, anceps; ideoque et *commune*. at, *jova*, breue; *jónak*, *jótól*, longum; *jót*, *jók*, diphthongus pro *jóat*, *jóak*, adeoque producenda.

§. X. Diphthongi et uocales *ó*, *ő*; *ö*, *ő*; *ő*, ita diſtinguantur, operae pretium eſſe arbitror. *Ó* ualet ad exprimendum ſonum ex aliqua diphthongo *oe*, uel *eo*, uel uero *öe*, aut uocali *o* ortum, uſv noſtro *breuem*: *ő* uero ad *longum* ſignificandum. Porro *ö* breui aliquui ſono, qui ex *e*, aut *alia uocali* ortus, aut *incertae originis*, eſt, exprimendo

inſe-

inſeruit : ŏ uero longo. Ő denique ad *ancipitem* ſonum denotandum iuuabit. Aſt in deriuatis ac inflexionibus, ubi corripitur, aut *oͤ*, pro ratione originis, aut uero *ö*, ſcribendum. ő *oͤvé.* *Kő*, *koͤvet*, *koͤves*, *koͤvez.* *Kδ'nek* autem, et *kδ'töl*, longum. *Kδ't* uero, (comtractum ex *köet*, uulgo *követ*), qua diphthongus, neceſſario producendum.

Diphthongus ac uocalis *oͤ*, δ', *ö*, *ő*, magis propria *Aſiaticis* et *Hungaris*, item *Danis* et *Suecis*, quam Franconibus et Gallis. 1) *Longa* ſonat, uti Gallorum *eu*; *beureux*: uti Holſatorum et Francorum *oͤ*: quod reliqui Germani, fere plerique, proferunt uti *é*. 2) *Breuis* autem ſonat, uti Anglorum *u* in *Dutcb (döts)*, et quibusdam eorum in *cburcb (csörcs)*: ſonat, uti breue *e*, Pariſienſibus atque Geneuenſibus, in monoſyllabis *je*, *le*, *que*, *de*: uti finale *e* breue ex ore Pſalmos canentium: quod in ſermone alias muteſcit. Anglorum plebs quaedam in certis prouinciis *o* breue profert uti noſtrum *ö*.

Hungari quidam Nomina ſua oſtentaturi loco *oͤ*, aut antiqui *eo*, adhibent *eö.* quod, et ſimilia, non minus decent, quam lacinia ueſtem, quam fucus faciem, quam ficta cornua perſonatum, quam denique *cor duplex* ac *os bilingue*, Hungaros cordatos, aequos ac ſinceros.

§. XI. *U* uocalis eſt triplex ; *longa*, *breuis* et *anceps.* 1) *Longa* acui ſolet : ut; *új*, *tanú*, *boſzſzúſág*, *járúl*, *tanúl.* Sonat, uti Anglorum longum *u* in his, *rule*, *aſſure*; et eorumdem diphthongus *ue*, *ui*, *ou*, in his, *ſuited*, *true*, *you*, *could*: uti Gallorum *ou* in *pourra*: uti Belgarum *oe* : uti Rhaetorum *eu*: uti Italorum *u* in *conoſcuto*: uti Germanorum *u* longum, praeſertim ante *b*: e. c. *gut*, *Rub.* Graeci non habent ſinplex *u* : ſed exprimunt

munt diphthongo ω (*oy*). Coptitae pari modo per *oy.* ex. gr. *Oyro* (dominus, rex): fere idem cum noſtro *Ur*, dominus.

2. *U breue* eſt in his, *UR JÉSUS*, *csuda*, *után* (poſt), *tudom*, *jut*, *fut*, *ſalu.* Poſitione tamen longum fieri poteſt alibi: *urnak*, *falúkal*, uulgo *falukkal.* *Ur*, ſequente Nomine Diuino, quibusdam acuitur, *Úr Iſten!* Breue noſtrum *u* ſonat uti Anglorum *o* in *to*: uti eorumdem *w* in *bow*, *now* (*bau*, *nau*): uti Scotorum *u* breue in his, *up*, *put*, *us*, *but*: uti Gallorum *ou* in *parcourant*: uti Germanorum *u* in *darum*: uti Ruthenorum *y* in *ykaz*: uti Polonorum *o* in *movie.*

3. *U anceps*; quod aliquando *longum*, aliquando uero *breue*: uel, quibusdam *acuitur*, aliis uero *coripitur*: uel, quod in deriuatis et inflexionibus rapide ſonat aliquibus. *út*, *útat*, *úton*; *ut*, *utat*, *uton*: *mútat*, plerisque *mutat*: *túdós*, quibusdam *tú-dós*, plerisque *tudós*: *boſzſzú*, *boſzſzat*, *boſzſzan*, *boſzſzak*; alias *boſzſzút*, *boſzſzúk.*

§. XII. Diphthongus et uocalis *ű*, *ü*, ü, triplex pari ratione eſt; *longa*, *breuis*, et *anceps.* 1) Diphthongus et uocalis *Ü* ualet ad exprimendum ſonum ex *eu*, uel *ue*, uel *üe*, aut *ű*, ortum, uſv noſtro *breuem*: ű uero ad longum ſignificandum. 2) *Ü* iuuat ad exprimendum aliquem ſonum *breuem*, ex *ü*, aut alia uocali, ortum, aut, qui *incertae originis* eſt, denotandum: ű uero *longum* indicat. 3) Ü denique ad indicandum ſonum *ancipitem* expedit. ex. c. *ügy*, *ügyem*, *ügyet*; alias *igy.* caet. *bűn*, *bűnöm*, *bűnöd*, *büne*, *bűnünk.* caet. Scythicum et hungaricum *ű*, ű, *ü*, *ű*, proferunt Galli, et quidam Itali in Ducatv *Mediolanenſi*; tum etiam Belgae, pronunciaturi uocalem *u* tam in proprio, quam peregrino, praeſertim latino, ſermone. ű, *ű*, reſpon-

ſpondet Anglorum diphthongis *eu*, *ew*, et aliquando uocali *u*, cum primis initiali: *Europe* (*jǘróp*, *ǘróp*) *Newton* (*nǘton*, *nǘtën*), *humain*, *unity* (*jǘmén*, *jǘniti*). Reſpondet Belgarum diphthongo *uu*: *buurt*. Sonat uti Heluetiorum *eu*: *teutch* (*tǘts*).

Diphthongus ac uocalis *U* magis propria *Hungaris* et *Aſiaticis*, item *Suecis* atque *Danis*, quam *Rauracis* et *Gallis*. Loco uocalium *ö*, *ü*, quae ſequentis conſonae *geminationem* mentiuntur, atque ideo *grauem notam* requirerent, fingi poteſt ő', ǘ, uel, ö, ü.

§. XIII. Elementum *Υ*, *y*, ueteriores, ante unam etiam generationem aliqui, uſurparunt, in fine ſyllabarum, loco conſonae *j*. ex. c. *úy*, pro *új*; *úyſág*, pro *újſág*. Vſurparunt etiam, uti hodiedum adhibemus, pro componendis *gy*, *ly*, *ny*, *ty*. Ad morem ſeculi praeſentis eadem id ratione retinebimus. Sed ſimul in uocalem quoque adhibebimus, peregrinum aliquod uocabulum orthographice laudaturi. ut: *Chryſoſtomus*, *Heſychius*, *Cyprianus*, *Thucydides*. Pari modo ſumus diphthongos *ae*, *oe*, in uſum adhibituri. *Caeſarea*, *Euboea*.

Pleriſque Nobilibus, *Cognomina* ſua *ſcripturis*, placet pro finali *i* fingere *y*: quibusdam etiam longas uocales, praeſertim *á*, *é*, *ó*, duplici uocali *aa*, *ee*, *oo*, exprimere; ut iam obcupaui. Excuſari poſſunt ii, qui nomen ac titulum *ea aetate* ſunt adepti, quae talem illis ſcribendi rationem *iniunxerit*.

§. XIV. Conſona *B* reſpondet omnium fere nationum literae *b*: niſi quod plerique Germani ſemper uti *p* proferant; quidam uero uti *v*. Graeci quoque ſuum *β*, uti *v*. Pari modo Coptitae ſuum *bida*. Et noſtri Maiores aliquando ſonuerunt *v*: hinc a perſico *bar*, et ſcythico *bazár*, *boldy*, petie-

runt *vár* (arx), et *vásár* (mercatus), *vólt* (fuit). Arabes in fine uocum, item ante et poſt certas literas, pronunciant uti *p*. Et Hungari aliquando: nam a Chald. et Syr. *Abba* habent *apa* (*pater*). Mutant etiam in *f*. Infantes Hungarorum, quum fari incipiunt, patrem adfantur *papa*; Germanorum uero, *pápë*, *papë*. Hi forſan habent a Griſonum *bab* (pater); illi uero aut ab eodem *aba*, aut uero a turcico *baba* (pater). Caeterum, perantiqui id fuiſſe apud Graecos etiam uſus arguit uocabulum Παππας. Hi iidem Graeci ſonum *b* non habent; ſed literis μπ exprimunt: ſi uero durior ſit; literis μβ. Μπελγγιυμ, Belgium, Μπονωνια, Bononia.

§. XV. Conſonam *C* ſuperioris et ineuntis huius ſeculi typothetae in fine dictionum et ſyllabarum pro hodierno noſtro *k* adhibuerunt; tum etiam in uocibus latinae originis. ut: *ſoc*, *ſockal*, *macula*. Hodie *makula*, *ſok*, *sòkal*, uulgo *ſokkal*. Litera hac per ſe non utimur: ſed addito *z*, proferimus eam, uti Romani, Bononienſes et Florentini ſonant ante *uocales femineas*, *e*, *i*, *y*. Sonum uero, quem ante *maſculinas*, *a*, *o*, *u*, habent *Angli*, *Galli*, *Itali*, exprimere ſolemus litera *k*. Latinas tamen alias que uoces peregrinas promiſcue ſcribimus, *Collegium*, *Collégyiom*, *Kollégyiom*; *Corinthus*, *Kórintus*; *Capernaum*, *Kápernaum*; *Cantuaria*, *Kántuária*; *Cantabrigia*, *Kántábrigyia*; *Cardinalis*, *Kárdinális*, *Kárdinál*. Si autem magis peregrina ſint eiusmodi nomina propria, ſolo *c* utimur. ex. c. *Cyprianus*, *Cumberland*.

2. *Ch* plebi noſtrae eferri nequit: at loco eius uſurpatur *k*. ut: *Kriſtus*, *Kius*, *Kóus*, *Káldeus*. Olim ſcriptum fuit *Chriſtus*. Itaque hodie promiſcuus eſto uſus; *Chius*, *Chous*, *Chaldaeus*: prioris quidem plebi; poſterioris uero cultioribus atque facun-

facundioribus. Pari ratione curabunt elegantiores peregrina uocabula, quae recentis apud nos futura ſunt originis ac uſus.

3. Compoſito *cz* utimur ad ſonum, qui ex *c* uel *k*, ac aliunde, ortus, aut qui dubiae eſt originis, exprimendum. Sonat, uti Hebraeorum *tzade*: uti Etruſcorum aliorum que *c* ante ſonos femineos *e*, *i*: item uti κ, ante ſonos molliores, delicatulis Athenarum mulierculis. ex. c. *Κικερων, καί'τεροι*: *Czicẓeron*, *czéteri*. Sonat uti Rhaetorum et Italorum *zz* plerisque: uti Belgarum *z*: uti Germanorum *z* et *tz*. Armeni, Illyrii, Rutheni, et alii, item Valachi hoc eodem ſono gaudent: Turcae, praeter delicatulos, minime. Graeculi ſolent exprimere literis *τζ*: Angli uero et Galli cum *ts*. Anglis et Belgis, qûum patrium conderent ſermonem, uiſum fuerat Germanorum (*cz*) *tz*, *z*, in *t* commutare.

4. Compoſito *cs* pariter utemur ad ſonum, qui ex *c* uel *k*, uel uero aſiatico *cs* uel *s*, ac aliunde, ortus; aut qui ignotae eſt originis, exprimendum. A Perſarum *feſar* (peſar), *exprime*, *ſtringe*, uenit *facsar*, exprimit, ſtringit. A Scytharum *boſat* (*mitte*) dicimus *bocsát*, mittit. Contra, eorum *cs* nobis in *s* mutatur aliquando. a *csok* (multum) habemus *ſok*: a *kécs* uero *kés*, *kéſik*, *kéſő'*. Mutatur in *ſz* etiam. Antiquorum *ics* (bibe) Maiorum noſtrorum delicatiores, ad morem Florentinorum, pronunciarunt *icz*. Hoc uero nos, anglico et gallico ore, proferimus *iſz*, *iſzik*.

*Cs* noſtrum ſonat uti Anglorum *ch*: uti Venetorum, et quuiusdam Gallicae atque Hiſpanicae plebis *c* ante femineos ſev molliores ſonos: uti germanicum *tſch*; quod imitantur Galli per *tch*. Sonat porro, uti Perſarum atque Turcarum *csim*:

item

item, uti litera *kef*, in *kőj*, quibusdam Turcis; et κ, ante sonos femineos, Graeculis Atheniensibus aliis que. Gaudent hocce sono Armeni, Rutheni, Illyrii, Bohemi, Poloni, et his cognati; item Valachi.

§. XVI. *D* nostrum respondet omnium nationum forti *d*. Nisi quod plerique Germani semper proferunt uti *t*. Turcae pariter post certas literas. Et Maioribus nostris usv uenerat *teve*, pro scythico *deve* (camelus); *teli*, *tele*, pro *dolu*, *doli* (plenus); *pajtás*, pro persico *pajdás* [comes pedestris]; *tennap*, pro *den-ap* [arabicae originis].

Graeci nostrum *d* non habent: suum enim Δ sonant uti facundiores Angli suum *th*; *the*, *thy*, *though*. quui plane respondet prolatio arabici *dhal*, et ebraici *dhaleth* ex ore Iudaeorum orientalium. Nostrorum cultiores elegans illud Graecorum organum admiraturi comtendunto molliter ac delicatule proferre *dh*. v. gr. *Dhiogenes*, non *Diogenes*; *Dhavidh*, non *Dávid*. Nostrum *d* prolaturi Graeculi possunt imitari literis ντ, uel ντ; hodie tamen usitatius ντ. ex. causa, Ντανιτ, seu Ντaβιτ, Dauid. Postremum imitantur et Iudaei.

*D* nostris aliquando mutatur in *n*. ut: *innep*, pro *idnep* (festum): *onnan*, (inde), ab *andan*, *ondan* (*ab eo*, *inde*; quod Scythis atque Othomannicis adhuc superest. Contra *n* in *d* aliquando: *pedig*, pro uulgari, alias orthographico, *penig*, autem. *D* cum *z* frequentissime nobis commutatur, praesertim quum in Verbis *finale* fuerit, atque Coniugatio *Hipbil*, quam uoco, formanda sit. v. c. *marad* (manet), *marazt* (iubet manere); *szárad* (aret), *szárazt* (exsiccat); *ébred* (expergiscitur), *ébrezt* (expergefacit). Vulgo quidem profertur et scribitur *sz*: at elegantiores, plebeios non morati,

pos-

poſſunt iure ſcribere atque etiam delicatule proferre *z*. Sic, *búza*, olim *bugza*, triticum, a Scythico *bogbda*, *bogbdaj*. Hungarorum plebs quaedam *d*, praecipue uero *dd*, mutat in *dj* quam frequentiſſime: *adjig*, *medjig*, *fëdji*, *fëdjbetetlen*, pro *àdig*, *mèdig* (uulgo *addig*, *meddig*), *fëddi*, *fëddbetetlen*. Obiter hic moneo, ſcribendum eſſe *fëddd* (reprehende, eum,) non *fëdd*, ut diſtinguatur a *fëdd* (tege, id,). Vel, ſi inſolens forte uideatur trium *d* continuatio; ſcribe *fëdd*, tege, *fëdd'*, reprehende.

Vti Latinis dicitur *prodire*, *redire*, et, poetis eorum, *Induperator*: ſic Hungari habent interdum euphonicum *d*. *Oda*, *ide*, pro *oba*, *ibe*, uel *oa*, *ie*. Poſt *l*, et *n*, alias que literas, quam frequentiſſime: *bóldog*, pro *bólog*, felix, beatus; *álldogál*, *üldögél*, *mëndëgél*, *vondogál*, pro *állogál*, *ülögél*, *mënëgél vonogál*. Vulgares in fine quoque adiiciunt aliquando: *könnyűd*, *könnyid*, pro *könnyű*, *könnyi*, facilis: olim *künű*, a *kün*, fac.

2. *Dj*, *dj*, *dj*. *Sine puncto* adhibeo ad *ſimplicem* ſonum; *cum puncto* autem ad *duplicem*, exprimendum. v. c. *adja* (dat, det) pro uulgari *adgya*; *tudja*, pro *tudgya*: et *adj*, pro uulgari *adgy*, *agygy*. Sonus literae *dj* reſpondet literae *gj* ſev *gy*; hoc tamen discrimine, quod ille *delicatior* ſit ac *elegantior*. quo quidem utor ad commendandum ſonum, qui ex *d*, *de*, uel *di*, aut *t*, *te*, *ti*, transmutatus. ex. c. *Djenis*, pro *Gyenis*, alias *Diënës*, Dionyſius: *djémánt*, pro *gyémant*, a *diamant*, adamas. *Dj*, *gy* Hungaris eſt, ante et poſt omnes uocales, proprius.

3. *Dzs*, quod perperam ſcribitur hodie *ds*; (potius *d's*, uel malim *dz'*), conuenit cum *gyzs*, *gyz'*, *gy's*; hoc tamen discrimine, quod illud mul-

to ſit elegantius atque delicatius. Adhibeo uero ad ſonum, qui ex *d* oritur, exprimendum. *Ds, ds* mollius: *d's*, ſev *dz'*, fortius; idque maiorem requirit opem dentium.

4. *Dz* reſpondet turcico *gyzim*, uti delicatiores id mulierculae tam turcicae quam praeſertim graeculae proferunt. Viris enim aliis ſonat *gyzs*, aliis uero *gy*. Sonat idem *dz*, uti *Graeculae Athenienſes* proferunt γ ante ſonos femineos; item κ inter ι et uocales molliores. Sonat uti *zz* quibusdam Italis, praecipue in *mezzo*. *Dz* comuenit cum *gyz*: ſed illud ſonat elegantius atque delicatius. Diſtinctis illis characteribus *diuerſi* cum primis *etymi*, ab inuicem diſtinguendi, habeo rationem.

§. XVII. *F* reſpondet graeco Φ; arabico (*fa*) *fe*; et Ebraeorum ף in fine dictionum. Reſpondet omnium nationum literae *f*: niſi quod *Perſae*, et *Armeni*, praeſertim Perſidi uiciniores, et *Finni* in Suecia, deſtituantur hoc ſono. *F* noſtrum, inſtar balborum puerorum, eferunt uti *p*. ex. c. *fortiter perfert frigus*, uulgus proferret, *portiter perpert prigus*: *fáj a fiam feje*; *páj a piam peje*. Finnicum *pe, pö*, idem cum noſtro *fö*, caput. Poſſunt tamen *Finni* cultiores peregrinum *f* imitari poſt ſtudia: habent enim *Filenios*, et alios. Hungari etiam habent *penig* ab antiquo *feinne*, *fenne*, autem. Imo hodiedum blandiores materculae, cum teneriore ſua prole ſuauiuſcule comloquentes, amant ſonare *p* loco *f*: *mëg-páztál piam*, pro *mëg-fáztál fiam*. Coptitae proferunt *f* uti *bb*. Id Graeculus imitaretur literis μφ. Hinc Ρεμφαν pro *Rebbban*; ab arabico *rebbani*, dominicus, diuinus. *F* in *b* mutatur quibusdam *Italis* et *Valachis*. Hi dicunt *bur*, pro *fur*. Illi uero *bijo*, pro *fijo*, caet. Ita *f* rediit ad pri-

primam originem, υιος. Slauonii plerique proferunt *f* quaſi *v*. Certis nationibus, etiam Maioribus noſtris, ſaepe in *v* fuit mutatum. Sic *Valaki* compoſitum ex aramaeo, uel arabico (caet.). פלן *felan*, *falan*. Vide infra.

§. XVIII. G noſtrum ſonat uti Italorum et Gallorum g ante *ue*, *ui*, item Anglorum g ante *ou*, *ua*, *ue*, *ui*, et *m*, aliquando etiam ante *e*: *league*, *guide*, *gouvernour*, *ſegment*, *together*. Sonat, uti Germanorum et Ruſſorum *g*. Sed horum quidam, praecipue Vcrainienſes, et plerique Aulici ac Literati, loco *g* pronunciant *b*. Item Slauonii et proferunt et ſcribunt *b*: ut; *Szluba Boha*, ſeruus DEI. Alii *Szluga Boga*: alii uero *Szlugba Bogba*. Germani quidam eferunt uti *k*. Et nobis tam *g* quam *gb* abit aliquando in *k*. ut; *bika*, taurus, ab aſiatico *bugba*.

G aliquando adiicimus, aliquando etiam inſerimus, propter euphoniam. *Penig*, a *feinne*, *peinne*, *penne*: *orſzág* ab ארץ aretz, *terra*, *regio*: ſic *engëm*, *tégëd*. Adde (*mig*,) *mëg*: quod probe diſtinguendum a *még*, *míg*, donec, adhuc. Vti Perſarum incrementum *mi*, uerbis iunctum, *perfectionem* indicat: ita noſtrum hocce *mëg*, ab eodem perſico *mi* petitum, *actionis* aut *paſſionis perfectionem* declarat. Haec itaque particula diuerſae eſt indolis ab aliis *Coniunctionibus* inſeparabilibus, *ki*-, *bé*-, *fël*-, *viſzſza*-, caeteris.

Graecorum γ noſtro g non reſpondet. Ii *boc* expreſſuri poſſunt imitari literis γκ, νγ, uſitatius tamen hodie γγ. ut Γγεντεων, *Gedeon*, Γγαμπριηλ, *Gabriel*. Graecorum γ nos imitaturi ſcriberemus *gb*, idque molliter ac delicatule proferendum. *Gb* proprium eſt illis; item Aſiaticis facundioribus, tum Etruſcorum delicatioribus: et quibusdam *Rutbenis*. hinc

certa *borum* pars, mutescente *g*, sonat *b*; uti iam obcupaui. Pariter Armenorum.

Asiaticum *gh* Maioribus nostris aliquando mutatum fuit in *v.* ex. gr. a scythicis participiis *bosatghan*, *sanghan*, *kapghan*. petierunt *bocsatván*, *szánván*, *kapván*. Turcis plane mutescit: *bosatan*, *sanan*, *kapan*. Vti Dores ac Itali mutuarunt *io*, illi quidem a graeco ἐγώ, hi uero a latino *ego*, litera *g* reiecta: ita nobis *g* et *gh*, item *gy*, saepe reiicitur tam in medio quam initio uocis. v. c. *lán*, *lány*, *leány*, (puella) ab asiatico *oghlan* (adolescens, puer, puella): *búza*, a *bughza*, bugza: *oroz*, *or*, ab antiquo *oghr* (furtum), *orbroz*, furatur. quem ad modum et Latini *g* olim neclexerunt. e.c. *nomen*, pro *gnomen*; sic *nosco*, pro *gnosco*; *natus*, pro *gnatus*; *nauus*, pro *gnauus*: quorum supersunt in quibusdam inscriptionibus et *MSS* uestigia. Anglis in medio et fine uocis fere semper mutescit *gh*: v. c. in his, *sight*, *light*, *fight*, *fought*, *sought*, *tought*, *taught*, *naught*, *eight*, *brought*.

G in deriuatis frequentissime in *gy* mutatur nobis: *Gaurium*, *Győr*, (Germanorum et Slauonum ore, *Iaurium*, *Jőr*). Hinc est, quod *Vár-mëge* [Comitatus] Hungaris plerisque liquescat atque sonet *Vár-mëgye*. G nobis aliquando mutatur etiam in *t*: *ismét* ab *ismég* (*s még*). aliquando in *d*: *bodnár* pro *bognár*, a germanico *wagner*. In Saxonia inferiori et Brandeburgia sonum g non habent. v. gr. *Gut Gott*, eferunt, *jut Jott* (*yut Yott*). pariter et latinum, ad modum Slauorum proferunt: Expertus fuit Petri *gallicum gigantem*, (*jallicum jijantem*, *yallicum yiyantem*). Pari modo Graeculi, praecipue Constantinupolitani, suum γ, ante sonos femineos.

2. Gy.

2. *Gy.* α) *gj* : β) *gj* : γ) *gy*. Utor primo ſyllabam *unam*, ſecundo autem *duas* indicaturus; utroque, ſimul, ſignificaturus originem a litera *g*, *gy*, *k*, uel *j*, aut alia, quam *d* atque *t* petitam: *tertio* uero ſonum, quuius etymon aut nondum aut non ſatis liquet, expreſſurus. ex. c. *gjënge gjümölcs*; *fogja*; *fogy*.

Sonus hic *Hungaris* omnibus, et quibusdam Aſiaticis, proprius *ante et poſt omnes uocales*. Plerique Slauonum et Illyriorum, eorum que propagines, literam *d* ante ſonos femineos, item Galli rudiores ante *ia*, et *ie* ſonant uti noſtrum *gy*, uel *dj*. ex. gr. *Dieu*, cultioribus quidem *Diő*, at aliis *Győ*. Anglorum quidam in paucis uocabulis ad hunc fere modum proferunt *d*. ut; *duty*: forſan ad ſonum exprimerent *dyuty*. Rhaeti ſev Griſones literam *g* ante ſonos femineos eferunt *gy*; finale *g* pariter. ut; *vengig* (*vengyigy*). Florentini, et, ni fallor, Bononienſes etiam, literam *j* ante omnes uocales; *g* uero ante femineas, proferunt uti noſtrum *gy*. Graeculi quidam γ ſuum ante ſonos molliores pronunciant etiam *gy*: pari modo κ inter ι et ſonos efeminatos. Noſtrum *gy* proferunt Germani uti *j*: *Gyŏrgy*, *jŏrj* (*yŏry*). *Gy* quibusdam Hungarorum mutatur in *g*. *Gënge* pro *gjënge*: olim *jënge*, a *jenik*. Vti *d* crebro abit in *gy*: ſic *gy*, atque *g*, et balbis et aliis mutatur in *d* frequentisſime; ſicut etiam *k* in *t*, atque *d*, comuerti adſolet. *Kisded*, paruulus, pro antiquo diminutiuo *kisgyek*. Plebs quaedam hodiedum profert *kisgyed*. Euphoniae gratia ſaepe adiicitur: *avagy* ab hebraeo או (*av*) *aut*: *mëngy* (uulgo *mëgy*), *mëngyëk*, *mëngyünk*, pro *mën*, uulgo *mén*, *mënëk*, *mënünk*; uulgo etiam *mëgyünk*, *mëgyëk*.





* Quantum uero sit operae pretium, ut omnes alias, ita hanc inter *gj* et *dj* distinctionem instituere, uel duobus exemplis demonstrabo. *Hogj*, olim *Kbogj*, a *kbegye*, *kbogje* (iuxta quid? secundum quid?) interpretatur *qui?* quomodo? *Hodj* autem, quod etiam *boty* scribi posset, imo deberet, (eoque magis, quod non nulli mollius id pronuncient) petitum a Graecorum particula ὅτι (uulgo graeco, ὅτι), dicit, *ut*, *quod*. Conuenit cum Arabum Coniunctione causali *batti*, uulgo *bætti*, *betta*.

Porro *kedjës* ab hebr. קדיש *kodis*, *kædis*, distinguendum a *kegyës*. *Kedjës* usurpatur tam de DEO, quam de homine. De DEO quidem proprie, α') *sanctus*; β') *pius*. De homine uero inproprie, α') *pius*; β') *timens DEI*; γ) *sanctus*: *kedjës*, *isten-félő*, *Isten-félő*, *szent*. At *kegyës* (*këgyes*) solum de homine potest in primo significatv adcipi. Id α) proprie significat *mitem*, *lenem*: β') *clementem*, *misericordem*; et γ') usitatius, *gratiosum*. Idque oritur a substantiuo nomine fere obsoleto *këgy*, (*lenitas*; *clementia*; *gratia*). Ideoque rectius profertur quibusdam *këgyës*, aut *këgyes*, quam aliis *kegyës*. Ab eodem obsolescente *këgy* dicitur adhuc, *Këgyed*, *Këgye*, *Këgyeiëk*, *Këgyëk*. Primum atque tertium contracte magis usurpatur, *Kêd*, *Kêtëk* (Dominatio Tua, Vestra). Idem proprie, quod germanicum *Ibro Gnad*: quo prodigi, serui, famuli nimis obnoxii, mendici, timiduli, adulatores, alii que, nimium abutuntur.

Deriuatur a *këgy* aliud substantiuum *këgyelëm* (*gratia*), quod pro *Diuina* quoque *Gratia* sumitur. De homine: *Këgyelmed*, *Këgyelme*, *Kë yelmetëk*, *Kë yelmëk*: respondent supra laudatis Titulis. Hoc tamen interest; quod illa sint *uulgaria*, et saepe a superbis etiam, alios despecturis, usurpari solita. *Honoratiores* itaque honoratius adloquimur, *Këgyelmed*, Ő *Kë yelme*, — *metëk*, — *mëk*: etiam *aequales*, si amamus et amari uolumus: imo ipsos *inferiores* quoque; si non sumus ambitiosi aut superbi, si honorem et existimationem, quam forte meremur, ab iis exspectamus, si, magsime, ex principiis caritatis alios diligimus atque diligi ab omnibus uolumus. Inde contracta putantur *Kelmed*, Ő *Kelme*, *Kelmetëk*, Ő *Kelmëk*. Perperam. Petuntur enim ab arabico *kiram*, *keræm* (*gratia*, *benignitas*; item *magnitudo*, *dignitas*, *auctoritas*); *r* in adfinem literam *l* mutato. *Kelem*; *Kelmed*, *Kelme*, caet. Vulgus quoddam *Kêmed*, caet.

** Ad.

** Adiicio : *Vnitatis numerum* expreſſuri poſſumus tam *ëdj*, quam *ëgy* (ëgj) ſcribere : quamuis originis ea ſint diuerſae. Quoniam et eodem tempore, et magſime, ſeparatis duabus uicibus diuerſae huc aduolauere nationes, quae non nullos, ſibi peculiares, loquendi modos ac dictiones a populis antea confinibus mutuatae fuerint ; mirum uideri non poteſt, ſi dialectus earum quodam modo uariauerit. Itaque potuerunt aliae a Chaldaeorum uel Arabum *ahad*, aut a Syrorum *had*, petere id, quod *Siculis* quibusdam dicitur *ëd* (*unum*) : aliae uero ſuum *ëgj* mutuari a Perſarum *jegy* (unum) ; quod aliis *jety*, aliis *jeg*, aliis uero *jek* ſolitum atque ſolet eferri. Itaque hinc explicabo diſtinctam originem atque ſignificationem numerorum ordinalium in *ed*, *od*, *ad*, atque *ik* deſinentium, v. gr. *hatod*, *heted*, *hetedik*, caet. Numero cardinali *hét* (uulgo *hét*) adiecto *ëd* (unum) orietur *heted*, *ſeptimum*, q. d. unum e 7, ſed uſv noſtro *indefinitum*. *Hetedik* autem compoſitum ex ordinali *heted* et cardinali *jek*, ſignificat *ſeptimum unum*, q. d. *certum unum e ſeptem definitis*. Sie de *má od*, *harmad*; *második*, *harmadik*; caeteris.

3. *Gyzs*, *gjzs*, *gjz'*, *gj's*, reſpondet ſono *dzs* : at eo utor ad ſonum, qui ex litera *g*, *gy*, *k*, uel *j*, aut alia, quam *d*, ortus eſt, exprimendum. Valet turcicum *gyzsim*, atque armenicum *gyzse* : quod quidem Germani pronunciare nequeunt Aequiualet Anglorum conſonis *g* et *j*; huic quidem ante uocales omnes; illi uero ante femineas : item Italorum conſonae *g* ante *e* et *i*. Sonat uti Rhaetorum finale *g* poſt *n* : uti γ hodiernis Atticis ante ſonos molliores, item κ inter ν et uocales femineas. *Gyzs* nobis in *cs* mutatur frequentisſime. *csak*, tamtum, ab *angyzsak*, tamtummodo : *bëlcs*, uulgo *bölcs*, ſapiens, a *biligyzsi*, ſciens, peritus, ſapiens.

4. *Gyz* comuenit cum *dz* : ſed eo utor ad ſonum, qui ex *g*, *gy*, *gyzs*, *k*, aut aliunde, praeter *d*, ortus eſt, exprimendum. Nonniſi *Hungaris*, atque delicatiori Athenienſium ſexui ; et quibusdam aliis, Polonis etiam, proprius. Nobis tamen ma-

 gis

gis proprius, quam caeteris; nam *ante et post omnes uocales* usurpari potest.

§. XIX. *H* nostrum sonat uti initiale *h* Anglorum atque Germanorum. Galli rarissime sonant. Florentini *q*, et *c* ante *a*, *o*, *u*, proferunt ad modum nostri *h*: olim protulerunt *ch*, (*kh*). Etiam *g* pronunciant delicatiores uti *h*; olim uero *gh*. Reliqui Itali numquam sonant *h* in principio dictionum: latinum uero *h* in media uoce proferunt ut *ch* (*kh*); *nichil michi*, pro, *nihil mihi*. Eidem uitio calamus etiam obnoxius est quorumdam. Poloni ueteriores pari modo literis (*kh*), *ch*, expresserunt: uti uidere est in libris *MSS* Bibliothecae *Zaluscianae*. Moscoui exoticum *h* semper litera *g* significant. Sic alii Ruthenorum cognati. Ita mutuati sunt *gospodi*, *gospoda* (dominus, herus), ab latino *hospite*. Graeculi *spiritum asperum*, quem nos ad modum latini et hungarici *h* spiramus, plane non sonant. Itaque *h* peregrinum expressuri literam χ adhibent; idque delicate pronunciant fere ad modum nostri *h*: Χαλα, Χολλανδια, Χυμβερνια, *Hybernia*. Mirum ergo non est, quod spiritus asperioris litera ח, *heth*, ut olim, sic hodie plerisque pronuncietur ut *kh*. Hinc et monstrosus error אנכי pro אנחי.

Adspiratae Hebraeorum et Chaldaeorum literae, quae dictiones terminant, Graecis in σ mutari adsolent. Anglis quibusdam finale *h* saepe sonat uti Germanorum *tsch*, seu Hungarorum *ts*. Maiores uero nostri finale *h* mutauerunt in *z* aliquando. ex. c. *tëz*, *tiz*, a persico *deh*, decem.

§. XX. *J*, *ȷ*, *j*. Duplici utor: *j* mihi significabit sonum ab *j* aut *i* ortum; *ȷ* uero, quod alius aut incertae est originis. Consona haec sonat uti Hebraeorum *iod*, Arabum *ie*, Graecorum

*iota*,

*iota*, Coptitarum *iauda*, et Latinorum *i*, sequente alia uocali. Respondet Belgarum, Germanorum et Polonorum consonae *j*. Sonat uti primus sonus in quibusdam uocibus anglicis ab *u*, *eu*, et *hu*, inchoantibus: *eunuch*, *useful*, *humour*; *jünukh*, *juszfol*, *jiümër*. Alias nostrum *j* exprimunt Angli, uti et Galli, per *y*: *York*; *yeux*. quod tamen, praecedente consona, *uocalem* habet sonum: *any duty*; *Lyon*. Itali exprimunt, ad morem Latinorum, uocali *i*.

*J* Maioribus mutatum saepe fuit in *gy*. *gjümöcs*, a *jemis* (fructus): *gjalog* ab hebr. *ialach*. (iuit, ambulauit). Etiam in *ny*: *njal*, lambit, a *jala*, lambe. Et hodie certae dialecto *bornju*, pro *borju*, uitulus. *J*, quod in uerbis ac nominibus suffixum 3*æ* personae *o*, et *a*, euphonias ergo, praecedit, plebi quuidam post consonas *k*, *p*, *t*, in *ty* mutatur; post alias uero in *gj*, *ly*, *ny*, caet. *szoktya*, *kaptya*, *kalaptya*, *'Jaktyo*, pro *szokja*, *kapja*, *kalapja*, *'Jakjo*.

§. XXI. *K* nostrum sonat uti *k* Anglorum, Belgarum, Germanorum, Ruthenorum, Polonorum, caeterorum. Vti Hebraeorum *koph*, et Arabum, Persarum atque Turcarum *kaf*. Vti Graecorum κ ante sonos duriores; et Coptitarum *kabba*. *Etruriae*, praecipue *Florentiae*, incolae *k* nostrum eferrent uti *h*. Turcis quoque tam lene *k*, quam asperum *kh*, siue *ch*, in aliquibus dictionibus profertur uti *h*: ex. c. *habar*, pro *khabar*, (rumor); *csoha*, pro *csoka*, pannus. Neque Maioribus nostris fuerat minus in more.

Graeculi κ, praecedente ν, sonant ut γ; χ porro uti *gh*. ex. gr. τον Κυριον, συν Χριστω: *ton Gyirion*, *syn Ghristo*. Turcae reliquorum Asiaticorum *k* post *n* proferunt uti literam *gyzsim*: pariter exprimunt etiam calamo. ut: *biringi*, *oningi* (*gyzsi*), pro *birinki*,

*ki, oninki.* Et Slauorum plerique latinum aliud ue *k* peregrinum, siue *c* ante *a, o, u,* item *q,* Hispanorum ore, plerumque sonant uti *g.* *Cur quaeris, quaeso: gur guériz, guézo.* Nostri quoque Maiores ita saepe comparauerunt dentes: itaque dixerunt *szunyog* a *szinek* (musca); *gonosz,* pro *kunosz;* *böldog,* pro *böldok,* uulgo huius et superioris seculi, *bódog;* *gjalog,* a *jalakb;* *galamb,* a *columba.*

*Graeculi,* praesertim Constantinupolitani, κ, ante sonos efeminatos, pronunciant *j;* alii *ty;* alii uero, magsime Attici, *cs;* uti iam obcupaui. Pari modo Turcarum aliqui suum *kef* (*k*) sonant *ty;* quidam uero *cs.* v. c. *köj, kö* (pagus), *työj, csöj, työ, csö.* Neque Maioribus nostris fuerat adeo insolens. ex. c. *csésze,* a Syr. כסא, calix. Balbutientibus quibusdam pueris quotidianum id est. Noui certum L. Baronem Daco-Transsiluanum, qui pro *k* initiali, sit illud *bungar cum,* aut *latinum,* aut uero *ualachicum,* semper *cs* pronunciet. Et *Valachi* pro *uacca* (latino) dicunt *vacs,* alii *vaty.* Iidem, ad rationem italici uulgi, pro *ch* proferunt *ty:* ut; *tyiama,* pro *chiama.* Pueri balbutientes, et adolescentes aliquando, quin etiam prouectioris aetatis uiri, literam *k* pronunciare nequeunt; uerum *t* sonant. Certus uir, iam anno 1755 denatus, quem puer primum omnium noueram, quamuis non balbutierit, certi ciuis nomen non nisi per *t* protulit, licet sexcentis uicibus monitus. Non deerit similium exemplorum copia in *deriuationibus* Maiorum.

*Kef* Turcis in *n* abit aliquando ante *l:* ut; *anladum.* Imo et *possidendi casuum* terminatio, quam Asiaticorum alii *k,* alii *nk,* alii uero *ng* pronunciant, in literam *n* illis, limitatur. Nostris quoque fuerat olim, hodie pariter est, moris τὸ *k* in

*n*

*n* permutare. Placuerat petere *kicsin*, *kicsiny*, *a kücsük*, paruus. Hodie ſatis delicate profertur, at perperam ſcribitur, *óránként*, *naponként*, *hetenként*, caet. pro *órákként*, *napokként*, *hetekként*, ſecundum horas, in horas, caet.

*K* aliquando *reiicitur*. v. gr. *Dicsïr*, *dicsër* (laudat), compoſitum ex turcico-arabico *di-ſükr*, dic laudem. Dicitur etiam *járál* pro *járkál*: quamuis illud uſv plus, quam hoc, inuoluat. *Elsö*, pro *elksö*, primus, olim *elkiſi*. *Ünö*, uitula, iuuenca, ab aſiatico *inek*, uacca. Porro: cultiores dicunt *mi*, *ti*, pro *mink*, *tik* (nos, uos). Natalis illius *mi* debuit incidere in ea tempora, quibus Rutheni Hungariam incoluerunt: illi enim, cum omnibus ſuis cognatis, dicunt *mi* (nos). Etſi hoc coincidat cum Perſico *ma*: tamen cenſeo rectius eſſe *mink*, *tik*, uel, uti rudis plebecula profert, *mënk*, *tëk*; a Perſarum *men* (ego), *tü* (tu). Exacte comuenit alterum cum Armenorum plurali *menk*, (nos); et alterum cum *tuk*, *tük*, (uos). Atque *bis* reſpondent *perſonae primae et ſecundae plurales* omnium *Verborum intranſitiuorum*, *neutrorum* et *paſſiuorum*; *actiuorum* uero *primae*, uulgari *mik*. (Armeni promiſcue formant *primas* omnes in *nk*; ſecundas in *k*). *Iisdem* reſpondent *pronomina* poſſeſſiua *enk etek*, caet. quae nominibus, aliis que partibus Orationis, ſubfigi ſolent, uocali *e*, pro more huius Idiomatis, interdum in aliam permutata. *Iſtenënk*, uulgo *Iſtenünk*; *Iſtenëtëk*, uulgo *Iſtentëk*; *Urunk*, *Uratok*; *Atyánk*, *Atyátok*; *Terëmtönk*, *Terëmtötök*: Deus, Dominus, Pater, Creator *noſter*, *ueſter*. In Pronominibus *miénk*, *tiétëk* (genuine, *mëenk*, *tëetëk*), *övék*, ipſum *e* eſt *characteriſtica* rei *poſſeſſae*; *nk* autem ac *tëk*, et *k*, *characteriſticae poſſidentium*. De quibus infra.

2. *Kh*

2. *Kh* (uti et *ch*) paucis in Europa nationibus proprium: neque nobis familiare. Mihi tamen uisum est adhibere, partem, ratione *repetendae originis antiquae*, partem uero plebis in gratiam. Non enim parit, in legendo, tamtum dificultatis atque *ch*. Itaque *Khristus*, *Khaldéus*, potest uel cum spiritv uel sine eo et scribi et pronunciari, prouti quuilibet expedierit. *Be gae* sonum *kh* non habent: in uno *graft*, *f* illud sonat ut *kh*.

3. *Kv* adhibendum magsime pro uulgo: quod usum characteris *q* nescit aut detrectat. *Kvártus*.

4. *Ks* usurpandum in gratiam plebeculae cum primis: quui usus literae *x* ignotus est aut certe insolens. *Kserkses*, *Artakserkses*, *voks*, *voksol*, *veksa*, *veksál* Possunt cultioribus utroque modo scribi. Adde, *examen*, *Foelix*; *eksámen*, *Féliks*. Sed pro uocabulis peregrinioribus *x* adhibendum.

§. XXII. *L* nostrum respondet omnium nationum literae *l*; ipsi Illyriorum (caet.) etiam ante *masculinas* eorum *uocales*. At uulgus rudius frequentissime elidit in loquendo: quod etiam Nobilibus non paucis est domesticum. Hi tamen forte distinguunt se, scribendo. *A Mihál* (*Mihály*) *talált fe e ni áról a dologról*. *A Mihá' talá't felé'nyi arrú' a dologrú'*. Sic *bó'dog*, pro *bóldog*. Et pro antiquo *balkan* (*tractus montium*, aut *collium* et *conuallium siluis obsitus*), dicitur *bakan*, *bakany*, *bakony*. Similiter Anglorum *l* ante aliam consonam, praecipue *k*, aut *m*, ut plurimum, quod scio, mutescit: *wák*, *ták*, *cám*, pro *walk*, *talk*, *calm*. Nostri quoque Maiores reiecerunt interdum. Ita mutuati sunt *mese* (aenigma, fabula) ab arabico *meszel*. Contra, posteri delicatuli saepe adiecerunt *l*. ut: *gjümölcs*, pro *gjümöcs*. Item *miglen*, *ádiglan*, *pediglen*, *peniglen*, *ismétlen*, *isméglen*. In his aliis que mul-

multis, *an*, *en*, *in*, et *n*, ſunt ſyllabae *expletiuae* atque *euphonicae*. Olim *mégen*, *àdégan*, *penigen*, *isḿégen*: uti *bogjan*, *igjën*, et *ugjan*; quod non eſt comtractum, ſicuti putatur, ex *ugj van*.

Sicuti *Doribus* moris fuerat *l* aliquando in *n* mutare: ſic nobis dicitur *gjanánt*, pro antiquo *gjalán* (plebi quuidam hodiedum *gjalánt*, inſtar). Item particula *nëm*, ab arabico *lem* (*non*). Sed prohibitiuum *në* (ne) tribuimus Coptitis: quibus aliquid prohibituris in more eſt *Verbo futuro* particulam *nen* adhibere. *L* uulgo noſtro frequenter in *r* comuertitur. Hinc *mér-föld*, (milliare) pro *mil-föld*; aliis *mél-föld*, *mély-föld*. Rectius ſcribitur *méjl-föld*, aut pro antiquorum, atque Heluetiorum, pronunciatione, *mil-föld*; petitum a germanico *meil-feld* potius, quam a Valachis aut Ruthenis. Quidam opinantur id a *mértt-föld*, (*terra menſurata*,) deriuatum: idque eo libentius ſibi perſuadent, quod *menſuram milliarium* in Hungaria, *Romanorum*, *Anglorum*, *Ruſſorum* et *Saxonum* ad rationem, exactiſſimam fuiſſe putent, atque hodiedum etiam eſſe ſuis ipſorum oculis experiantur. *L* quibusdam frequenter efertur uti *ly*, aliis autem uti *j*: *Mihály*, *Mihåj*; *fëlyhő*, *fëjhő*, *fëlhő*; *tengël*, *tengëly*, *tengëj*. Inperite autem ſcribitur cum *j*.

2. *L cancellatum*, cum primis in initio uocum, *Polonis* proprium. Ruſſorum *ł* in praeterito *był* ei omnino reſpondet. Poſſunt et noſtri cantores, qui fecundiores ſunt, eleganter imitari rhythmorum in termino, mora aliqua interiecta. Adcedit et Auſtriacorum *l* in fine ſyllabarum, magſime conſona labiali ſequente; pariter in fine dictionum, ſi praecedens *e* abſorbeatur.

Vt

Vt habeas ideam *cancellati* huius L; comcipe *lineolam* ductam trans *perpendiculum* eiusdem, eamque non plano *horizontalem*, sev ipsi *basi* parallelam; sed *inclinantem*.

3. *Lj*; *lj*; *lj*; *ly*. Primus character sonum exprimit *simplicem*; secundus uero *duplicem*: tertius autem *ignotae originis* dictionem, atque talem etiam, quae aliunde, quam ab *l*, *ly*, deriuatur, indicat. ut: *Mibálj*; *olj*, *oljan*, *iljen*, *vi'sgálja*, *valjon*; *bely*. Hic sonus *Hungaris* est *ante* et *post omnes uocales proprius*. Sonat, uti Italorum *gli* ante uocales. Adcedit ad id gallica pronunciatio duplicis *ll* inter uocales duas positi. Certa dialectus Nationis nostrae, praecipue prouinciarum, quae *Croatiam*, *Stiriam*, *Austriam* et *Morauiam* spectant, loco *ly* semper *l* pronunciat. v. c. *találla*, *bálluk*, *méll*, *bel*, caet. pro *találja*, *balljuk*, *mélj*, *bely*. Et sane in multis rectius. ex. gr. *Mibál*, *ollan*, *illen*, *millen*. Neutrum est uitio uertendum. Oratoris est eligere quod cultius atque suauius.

*Illyriorum* atque *Slauonum* propago ipsum *l* ante sonos *molliores molliter* pronunciat. Nihilo tamen secius *Poloni* plerique et *Vcrainienses* latinum *l*, ad rationem mollis ipsorum *l*, proferunt quasi *ly*, non tamtum ante femineos, sed etiam ante *masculinos*.

§. XXIII. *M* nostrum respondet omnium nationum literae *m*. Nisi quod plerique *Itali* in fine uocum et syllabarum omnium *proferunt* uti *n* ex. c. *quanquan uiderin tuun fratren*. Post *Italos*, aliae quoque nationes, euphoniae forsan gratia, pari modo *eferunt*, atque *scribunt* etiam, *latinum* compositum: *quanuis tandem conferat cuicunque*, pro, *quamuis tamdem comferat quuicumque*. Porro Galli suum *temps* eferunt *tan*. Etiam Hungarus aliquando mutat in *n*. ut: *sénki*, pro *sémki*. Mutat alias

in

in adfine *b*: *gerebën* a latino *carmen.* hinc *gerebënël*, carminat. Dialectus certae plebis reiicit *m* a particula intensiua *mëg*.

§. XXIV. *N hungaricum* respondet omnium nationum literae *n*: et ipsi *Illyriorum* ante sonos *masculinos*. Frequentissime abit in *m*. *Miklós*, Nicolaus. Antiquioribus, ita et Valachis, *Mikó*. Ante labiales literas *b*, *p* *m*, omni fere plebi nostrae profertur uti *m*: *Istembe*, *azomba*, *baszomba*, *Szem-Pétër*, *Szem Márton* (p. *Szent Pétër*, *Szent-Márton*). Sunt, qui, orthographiam negligentes, easdem uoces ad sonum exprimant calamo. Potissimum Abauis nostris ita usv uenerat. quuius rei locuples est in typis uestigium. ex. c. *Debreczembe*. Vti et Graeci suum *συν* et *ἐν*, per *συμ* ac *ἐμ*; Europaei uero plerique, post Italos, Latinorum *in* per *im*, exprimunt ante labiales. Asiaticis, praesertim uero Scythis atque Othomannicis familiare est *n*, ante labiale *b*, in *m* comuertere. Et Persis *enbar*, (inple), sonat *embar*. Sic nostris etiam Atauis prolatum *embër* (homo) pro *enbër*; olim *gjenbër*, a *gyanver* (animam habens, anima praeditus), *lélëkkel biró*: *gy*, uti saepe fieri solet, reiecto. Porro, *n* abit nobis in *m*, quam frequentissime, post literas *l*, *ly*, *r*, *s*, *sz*, et *t*: quibusdam etiam post *g*: *élemëdik* *solamodik*, *folyamodik*, *származik*, *csuszamodik*, *futamodik*, *fogamodik* (*foganodik*). Abit etiam in *d*: *pedig*, pro, *penig*. Abit porro in *g*: *tëgnap*, pro uulgari *tënnap*. Abit, praeterea, in *l*: *talál*, pro *tanál*; *tálján* (circa, circiter) a *tánján*, *dan-jan*; gjëlkos, *gjilkos*, homicida, a persico *gyenkus*, occisor animae.

*N* aliquando inseritur dictionibus. *Harmintz kilentz*, pro *harmitz-kiletz*: *Këgyend*, *Këgyentek*; uulgo *Kénd*, *Kéntëk*, pro *Këgyed*, *Këgyetëk* (Dominatio

Tua

Tua, Vestra). Hungaricus mos, in certis prouinciis, hoc in uicem titulo adloquendi. Sed frequenter etiam reiicitur *n*, nescio quuius euphoniae caussa. *Mëk, mik*, pro *mënk, mink* (nos): *mëgyëk, mëgyën, mëgyünk, mësz*, et anomalum *mégy*; pro *mëngyëk, mëngyën, mëngyünk, mënsz*: *së, sëm*, pro *s në, s nëm*. Plebs quaedam dicit *óránkë't, óránki t, naponkë't, naponki't, a szëri't, gerebël*, pro *órákként, napokként, a szërént*. caet. Item *Karátson*, Natalis Domini IESV CHRISTI, dictus ab *incarnatione*. Sic *Bécs*, Vienna Austriae, et *Péts*, Quinque Ecclesiae, pro *Bencs*, uel potius *Bincs*, et *Pents*.

2. Turcarum *Sagbir-Nun* et Gallorum finale *n*, praesertim post *o* (quui simile habent etiam Poloni)*, uulgo nostro peregrinum. Ast cultiores atque delicatiores, uti *omnes Orbis uniuersi sonos*, ita *hunc* quoque possunt elegantissime proferre. Praeter Patrem Paulinum, quem Romae uideram A. 1754, permultos inuenias Hungaros, et Siculos Daco-Transsiluanos, qui tam delicato praediti sint organo, ut Gallorum delicatissimorum uix millesimus eos imitari ualeret.

* Quidquid senserint alii: mihi quidem, experientia teste, comstat illud *Sagbir-Nun* adcuratius a uulgo turcico proferri *ng*, quam a cultioribus uti *n*. Vulgaris enim illa prolatio adcedit ad reliquorum Asiaticorum, quamuis non omnium, pronunciationem. Quam tamen non hac ratione commendatam uelim, ut inperium *adscititii* illius *n* probarem; uerum, ut ipsum *g*, (potius *k*) ab *exsilio reuocarem* atque restituerem.

*Scytharum* posteri formant *possidendi casum* in *ük, uk*: plerique uero semper *nük, nuk*. Turcis autem euphoniae solum causa scribitur *n* post uocales. Hoc illis uitio uerti nequit. Sed finale *kef*, quod uulgo profertur quasi *ng* (*nüng*), cultioribus, luctam organi uitaturis, sonat solum *n* (*nün, ün*). Hinc quoque ortum est, quod illis uitiose scribatur *karindas*, pro *karükdas* (*karünkdas, karüngdas*, uentris,

tris, ſiue *uteri ſocius*): quod omnes uno ore eferunt *kar'das*, i. e. *frater*. Aſiaticum *denkiz* (mare) cultiores eorum proferunt *deniz*, uulgus uero *dengiz*: inde eſt nobis *tengĕr*, mare.

3. *Nj*, *nj*, *ny*. Vtor *primo* ad exprimendum *unam* ſyllabam; *ſecundo* autem *duas*, aut *ſonum duplicem*: *tertio* uero ſignificare placet ſonum, quuius etymon deſideratur; et qui aliunde, quam ab *n*, aut *ne*, *ni*, uel *nj*, petitus. *Törvénj*; *vonj*, *vonja*, *ſzánja*, pro *vonny*, *vonyny*, *vonnya*, *ſzánnya*; *tenyér*. Sonus hic *Hungaris* eſt, *ante* et *poſt omnes uocales*, proprius. Sonat, uti *Valachorum*, item *Ruſſorum*, *Polonorum*, *Bulgarorum*, et reliquae *Illyriorum* ac *Slauonum* propaginis, *n*, ante uocales *efeminata*. Sonat, uti Italorum et Gallorum *n*, praecedente *g* ſurdo. Angli quoque proferunt in quibusdam dictionibus magſime *italicae* et *gallicae* originis. Non nullis eorum pari modo ſonat *n* prius in *Newton*. Certa dialectus Nationis noſtrae finale *n*, ac in ſyllaba finali, praeſertim *ni*, ſemper, ore ſlauonico, pronunciat *ny*. ut: *Kalán*, *ënni*, *inni*, *vënni*, *irni*; *kalány*, *ennyi*, *innya*, *vennyi*, *irnya*

§. XXV. *P* noſtrum reſpondet omnium nationum literae *p*: niſi quod *Slauonii* plerique proferant latinum *p* uti *b*. ex. c. *ber bardez*, per partes. Coptitae ſuum *p*, ut plurimum, ſonant uti *b*: quem ad modum et Latini graecum π frequenter in *b* comuerterunt. ut: *ab*, *ſub*, ex ἀπο, ὑπο. Graeculi moderni, praecedente μ, aut ν, proferunt uti noſtrum *b*. Εις την πολιν παλιν πορευομαι: *is tin bolin bálin borevomæ*. Turcae pariter. Idcirco procliue illis fuit nomen *Istambol* (alias, *Stambul*) mutuari a Graecorum *is tin polin* (*is ten polin*, *in ciuitatem*, *in ciuitate*, ſicuti id Graeculi comſtruunt). Vti olim Romani *Romam*, et hodie Angli *Londinum*; ſic etiam Graeci *Conſtantinupolin* ſemper *urbem* uocitant.

C Quo

Quo uadis? in *urbem*, εις την πολιν. Vbi degis? in *urbe*, εις την πολιν. Idem Turcae graeco ore protulerunt, *is-tin-bolin*; dorico, *is-tan-bolin*; tatarico autem, *Istambolin.* Bulgari uero et Valachi uocant *Czáregrád*, Caesaris ciuitatem.

Hungari quidam pro *part* dicunt *mart.* Aliqui uero pro *pedig*, usurpant *kedig.* *P* abit aliquando in *f*: ut *fenyö*, a *pinus.* Aliquando reiicitur: est enim *gaz'da*, herus, dominus, paterfamilias, oeconomus, ab ruthenico *gbószpoda*, dominus, herus.

2. *Ph*, *ph.* Peregrinum eo significabimus uocabulum: *Theophrastus*, *Philippus.* Ea uero, quae antiquo ciuitatis nostrae gaudent iure, litera *f* exprimere integrum est: *Filëp*, *Filippi*, *Filémon*, *Filadelfia*, *Teófilus.* Sed *Philosophus* uigeat, aeque ac *Filósofus*, cum similibus.

§. XXVI. *Q* nullum habet apud Hungaros usum. Itaque sonus *qu* literis *kv* solet exprimi. ut; *Kvártus*, *kvártél.* Possumus tamen atque uolumus in latinis id uocabulis nostra ciuitate non ita pridem donatis, atque iis, quae ad tempus fors an usurpantur, adhibere. ex. c. *quadratum*, *quadratura*; *Quirinus.* *Qu* profertur Anglis, Germanis, et paucis Italis, ad modum *Latinorum*, uti *kv*: at Gallis, Hispanis, et plerisque Italis, uti *k.* Videtur Latinis etiam olim, non paucis, ante *u* sonuisse *k* aliquando. Id arguit inueterata imitatiuncula, *cuius*, *cui*, *locutus*, caet. pro, *quuius*, *quui*, *loquutus*, caet.

§. XXVII. *R* nostrum respondet omnium nationum, magsime Germanorum et Slauoniorum, literae *r.* Vti Latinis atque Atticis non numquam liquescit: sic et Anglis aliquando v.c. *wám*, *shâp*, pro *warm*, *sharp.* Blaesi pueri nostrates, adulti quoque

que non ita pauci, proferunt ut *ly*, alii *l*. Etiam sine linguae uitio in *l* mutatur saepius. *Almáriom*, ab armarium: *cselekëszëm* (Hithpahel) ab antiqua radice persica *cser*, aliis *kjer*: *bólok*, hodie *bóldog*, pro *bórok*, beatus, felix, ab Hebr. ברוך *barukh*, *borukh*, benedictus. Mutatur aliquando in *g*. *Gazdag* (notat, *kincsës*) diues, opulentus; a persico *ghazdar*, *thesaurum possidens*, *diuitias babens*. Aliquando inseritur dictioni, idque, ut uidetur, euphonias ergo. *Piatz*, uulgo *piartz*, ab italico *piazza*, german. *platz*. Sic *társ*, a persico *das*, socius.

§. XXVIII. *S* nostrum sonat uti Hebraeorum, Arabum, Persarum, aliorum que *shin* (punctatum): uti Anglorum *sh*; item eorum *ti* ante finale *on*: uti Gallorum *ch*: uti Germanorum *sch*: uti *s* eorumdem ante *c*, *l*, *m*, *q*, *t*: uti *s* Italorum, praeter *Florentinos*, ante *c*, *p*, *t*, etc. Vti quoddam Graeculorum uulgus, ad modum Italorum quorumdam, praecipue Venetorum, profert σιγμα. *Graecis* delicatioribus, atque *Mecklenburgensibus*, hoc sono carere placet. Quos praeter, omnes fere nationes habent. Hungaris non raro abit in *z*: *tüz*, a persico *ates*, ignis: *kőz*, a persico *kose*, angulus.

Vti Hebraei suum ש cum *Thav* frequenter commutant; item Anglo-Saxones et Belgae, patrii sermonis conditores, teutonicum *s* atticis crebro labiis protulerunt (Ast *better*, et *beeter*, *melius*, uicinum est origini persicae; *bibter*, melius, a *bib*, bonum): sic et Maioribus nostris frequentissime fuerat *s* in *t* permutatum. Germanis quibusdam *sch* praecedente *n*, efertur uti *tsch*: et nobis aliquando crassum *s*, post *n*, abit in *cs*; ut *Bincs* pro *Bins*, hodie *Bics*, *Bécs*: *lencse* a latino *lens*.

2. *Sz* noſtrum ſonat uti Hebraeorum *ſamech*; Arabum, caeterorum, *ſin*, et Graecorum σίγμα: uti Anglorum *s* et *c* in *ſince, peace*: uti Gallorum *s*, *c*, *ç*, atque *t* in his, *Cette nation ſans façon*: uti Slauonii, Poloni, caeteri, et plerique Germani proferunt *s*: uti Romani, Bononienses, Florentini, et Mediolanenſes, in principio dictionum. Veneti, uti iam obcupaui, hoc ſono deſtituuntur. Sz antiquum et nobis in craſſum *s* fuit mutatum frequentiſſime. ut: *meſe* a *meſzel* (fabula). Magſime ante *abstractorum* terminationem *ſag*, *ſég*. ſonat uti *s*. *Jáſzſág*, *kéſzſég*. Noſtrum *ſz*, ad morem *Atticorum*, crebro in *t* commutatur. ut: *bitel*, *étel*, *ital*, *vétel*, *bit*, *bitt*, *bitj*, hodie *bidj*, *bitet*, caet. ab *biſz*, *ëſz*, *iſz* (*iſzik*), *vëſz*.

3. Eſt ſonus inter *s* et *ſz medius*, qui tamen proprius ad *s* adcedit, *Graeculis*, praecipue *Macedonibus*, et *Athenienſibus*, atque delicatiori *Belgarum* ſexui proprius: quibusdam etiam *Hungariae* et *Poloniae* ciuitatibus aliqua ex parte familiaris. *Quem* alias, uti et ſonum inter *z* et *zs* medium, noſtrates, aliae que nationes, nonniſi *blaeſis* adſcribunt. Vti hoc, ita et *reliquum in blaeſis uitium moralis* aliquuius *uitii*, quod *praedominatur*, eſt *index* certiſſimus. Contra, lenes, comes, adfabiles, modeſtos, humiles, caſtos, pios, et iuſtos ac aequos, aliis que ornatos uirtutibus, a Gratia coeleſti cum primis *ita* comparatos, plus *blaeſus* ille *ſermo*, quam facundia, *decere* uidetur.

4. *'S*, *'s*, *'ſ*, comuenit cum *zs*, et *z'*, hoc ſolum discrimine, quod *'s* ab *s*, aut *ſz*, aut aliunde, quam a *z*, ortum mihi ſignificet ſonum : *'ſ* uero ſonum, qui duplici modo eferri ſolet, indicat. v. gr. Jé'ſus, Ieſus, quibusdam pronunciatur *Jë'ſus*, aliis uero *Jézus*. *Jeru'sálëm*, *Jó'sef*, *Iëré'sia*. S. in

in medio *nominum propriorum* sonat ad modum *Venetorum*: quibus *s*, quod syllabam in media uoce inchoat, refert nostrum *'s*. ut ; *cosa medesima*: minime uero, si duplex sit *ss*, ut ; *stessa*. Initiale nostrum *s*, in *propriis*, pari modo sonabit *'s*, si media syllaba ab *s* ordiatur. ut: *'S t' ánna*.

§. XXIX. *T* nostrum respondet omnium nationum forti *t*: nisi quod *Slaui* plerique, et quidam *Germani*. *Hispanorum* antiquorum ore, semper fere proferant uti *d*. Et *Coptitae* frequenter. *Graeculi* moderni, praecedente *n*, semper sonant *d*. Παῖδα γινεῖται απο τον Θεον τελειωντα μ. ς. *Panda iinondæ apó ton Dheon deliunda mas*. Iudaei pariter. Et Hungaris in *d* mutatur frequentissime. ut : *Nádasd*, *Kövesd*, ab antiquo Mogorico-Persico *Nádestán* (*Nádastán*), *Kövestán*.. At idem *d* genuinum est in his: *Farkas'd*, *Kos'd*, *Bárány'd*, *Bárán'd*. *István'd*, a *Farkas-bid*, *Kos-bid*, *Bárán-bid*, *Istvàn-bid*. Item in his: *Várad*, *Arad*, a persico-scythico *Várdágh*, *Ardágh*. Item in his: *Erdőd*, *Borsod Kőlesd*, a mogorico-persico *Erdődán*, *Borsodán*, *Kőlesdán*. Sed *Bogdán* est a ruthenico *Bogbdan*. De quibus uberius in *Onomastico Hungarico*.

*Germani* exoticum *t*, ut plurimum, cum *spiritu aspero* proferunt *th*. Valachi latinum *t*, ante sonos *femineos*, in *tz* mutauerunt aliquando: *tzine*, ex *tene*; *üntzeleg*, ex *intelligo*. Plerique *Russi*, *Poloni* et *Slaui*, suum aeque ac exoticum *t*, ante *uocales femineas*, pronunciant uti *ty*. Et nostratium aliqui; ueterum tamen plures amauerunt *ore slauonico* pronunciare. Hinc *bitjës*, *'bitjös*, pro *bitës*. Hoc minus suaue. Sunt alia, quae aures non ita feriunt: ex. c. *tyuk*, ab asiatico *tauk*, gallina; uulgo *tik*. *Atya*, ab antiquo *ata*, pater.

*Galli*, uti finale *s*, ita finale *t*, non femper proferunt. · Ita uulgus noftrum folet aliquando reiicere extremum *t.* ex. c. *miér'*, *m'ér'*, *azér'*, *mikén'*, quibusdam *miké'*, pro *miért*, *azért*, *miként.* Etiam medium *t*, ante alias consonas, praefertim ante g, *k*, *t*, caet. ut; *Szen-Gergëly*, *Szen Király*, *Szen-Tamás*, *Szen-László*, pro *Szent-Gergëly*, caet. Contra, aliquando inferit euphoniae gratia: *esztendő*, ab *jafinde*, *jefinde* (annus). Et fini adiicit: ut; *mëgint*, pro *mëgin*. *In* eft fyllaba *expletiua* atque euphonica. *Mëgin*, pro *mégin.*

Vti Hebraeorum ת cum ש crebro commutatur: ita noftrum *t* abit in adfine *s* quam frequentiffime; praecipue quidem in Verborum Imperatiuis, idque euphonias gratia. ut: *láfs*, *jufs*, *látbafs*, *nézbefs*, *nézbefs'd*, *nézbefsed*, caet. pro *lát-s*, *jut-s*, *látbat-s*, *nézbet-s*, *nézbet-sd*, *nézbet-fed.*

2. *Th* plebs arabica profert uti *t*. Vulgus noftrum pariter. Sed poffunt cultiores, quamuis pigeat eos tam delicate, atque Graeci, proferre. Voces peregrinas olim adfcitas promifcue per *th* atque *t* exprimimus; recentes uero per *th*. ut: *Thucydides*: *Theologus*, *Teólogus*; *Mártha*, *Márta*. Germani *th* fonant *dh*, uti Angli in monofyllabis quibusdam: at non tam delicate et eleganter atque hi. *Iudaei hebraifantes*, uel qualibet lingua loquentes, maxime *Germanici*, *Polonici* et *Orientales*, finale *th*; *Arabes* doctiores atque *Turcae* omne *th* fibilant uti *s* tenue. *Lacones*, ipfi *Spartani*, Θ ut plurimum, per Σ expreflerunt. *Angli* finale dictionum, cum primis Verborum, *th* utroque modo fcribunt; alii *th*, alii *s*: *becometh*, *becomes*. Vulgus eorum pronunciat *fz* (*bicomfz*), rariffime *th*: praecones uero, ad modum Graecorum, femper *th*. Et initio aliquando. Vulgus pariter. v. gr. *think.*

Pere-

Peregrinum *th* Maiores noſtri amarunt in *t*, *d*, *z*, aſt ebraicum *Thav* in *ſz*, *z*, *d*, atque *t* permutare. v. c. Ex *adformante 2æ perſonae ſingularis praeteriti*, nimirum ת mutauerunt *ſz*, *charaeteriſticam 2æ ſingularis Verborum intranſitiuorum* ac *neutrorum*. ut: ſiet*ſz*, akar*ſz*, halla*ſz*, ir*ſz*. Porro *adfectionem* Verborum formae *Hithpahel*, *hir*hëdik, *cſele*këdik, *cſele*këſzik, *ſzomjú*hozik, habent a characteriſtica תה *heth*, Denique *notam quarti* caſus *at*, *ot*, *öt*, *et*, *ët*, *ét*, *őt*, *t*, adceperunt ab iisdem Ebraeis: hoc discrimine, quod *Orientales* notam את praefigant; noſtri uero, pro more ſuo, et alias particulas, et *hanc ſubfigere* ament. ex. gr. Ur*at*, Iſten*t*, Atyá*t*, nap*ot*, jó*t*, eg*et*, egek*et*.

Ruſſi et Valachi *th* pronunciant uti *ph* ſev *f*. ex. c. *Feodor*, *Pheodor*; *Logophet*, a *Theodorus*, *Logothetes*, Cancellarius.

3. *Ty*, *tj*, *tj*. *Tj* ſonum *ſinplicem*; *tj* uero *duplicem* exprimit. *Tj* originem a *te*, *ti*; *ty* uero deriuationem a *t*, aut aliunde, quam a *te*, *ti*, ſimul et *ignotam originem* indicat. Noſtrum *ty* ſonat, *ante* et *poſt quamlibet uocalem*, uti *Slauonum*, *Illyriorum*, caeterorum, item *Valachorum*, *t* ante ſonos *molliores*: uti κ quibusdam Graeculis ante *uocales* atque *diphthongos femineas*: uti *Turcarum* et reliquorum *Aſiaticorum* certa dialectus pronunciat *kef* ante *ſonos omnes*, praecipue uero ante *efeminatos*: uti Itali et Vlachi proferunt *ch*: uti et Rhaeti; v. c. *parchei*, ſonat illis *pártyej*. Ad hunc fere modum proferunt Angli prius *t* in *tutor*: expreſſuri forſan ſcriberent *tyutor*.

4. *Ts* comuenit cum *cs*. Hoc ſolum intereſt: quod eo originem a *t*, atque *ts*, ſignificem. tſ, *tſ*, quando ſcribitur, *diſtinctum ſonum* atque *duas ſyllabas* indicat. *Horvátſág*.

5. *Tz* pariter comgruit cum *cz*. Ita uero distingui debet, ut habeatur ratio originis a *t* atque *tz*. Angli cum *tts*, Galli uero cum *ts* id exprimerent.

§. XXX. *V* confona fonat uti Anglorum, Gallorum et Italorum *v*: uti Belgarum, Germanorum et Polonorum duplex *w*. Sonat uti Graecorum Β: uti Coptitarum *Bida*, fev *Vida*; quos et fupra commemoraui. Habent huncce fonum omnes fere nationes. Graecorum in ore, Υ inter duas uocales fonat uti noftrum *v*. ex. gr. Δαυιδ, Ευαγγελιον. At tamen peregrinum *v* nunc υ ψιλῳ, mox diphthongo ου, alias uero per β exprimunt. Δαβιδ, Δαουιδ. Adcuratiores eorum orthographiae fors an habituri rationem ac etymi, hungaricum *vár* (arx), et italicum *aveva*, fcriberent — βαρ, αβεβα: *Louanium* autem et *Vienna* ac *Vindobona*, hoc pacto — Λουανιϰμ, Ουιεννα, Ουιντομπονα.

Hungaris peregrinum *v* in *b* uertitur aliquando. *Bálint*, (*Válint*, Valentinus). *Bognár*, a germanico *wagner*. *Bajnok* a slauonico *vojnik*. Sic *Bécs*, *Bics*, comtractum ex *Bin-fehri*, quod a *Wien-fehri* (*Vin-fehri*) *Vien-városa*, Ciuitas Vindoniana. Turcae, Valachi et Illyrii habent ab Hungaris *Bécs*. Pari modo *Péts* comtractum ex perfico-arabico *Pengyzs-fehri* (*Pengyzs*), Ciuitas quinque Ecclefiarum; *pengyzs-kiliz-fehri*. Aut potius ex slauonico, *Pient-czërko*, *piet-czërkvé*, Quinque Ecclefiae.

Sic porro Coniunctio *embár*, hodie *ámbár* (etfi) componitur ex Coniunctione perfica *bem* (*et*, *tum*), et *ver* (etfi). Sed alius eft originis aduerbium concedendi *ámbár*, id eft, *ám lédjen*, *ám ugj vadjon*. *Am* eft a Coptitarum particula *amoi* (*fi*); fed nobis plura denotat. *Vár* Scythis notat, *eft*. *Am-vár*!

*Bel-*

*Belgarum* atque *Germanorum* duplex *w* eo ualet, ut diſtinguatur a ſinplici *v*; quod omnes pronunciant uti *f*. Poſteriorum plerique etiam latinum eodem modo proferunt. *Fide, ſed cui, uide*: *Fide, ſed cui, ſide*. Nos quoque imitamur eos aliquando. A latino *vir* habemus *férj*: item *falu* a *uilla*.

Vti Latini *d* et *v* frequenter inſerunt euphoniae gratia: ſic Hungari euphonicum *v* crebro adiiciunt.

2. *Wh* proprium eſt Anglis: peculiaris eſt et prolatio τȣ *w*. Illud *wh* in *what*. etc. eferunt quaſi *hv*. Praecones Hungarici, praeſertim facundiores, mihi uidentur eodem modo proferre literam *v* in his — *Ob vajha!*

§. XXXI. *Z* noſtrum ſonat uti *Hebraeorum*, caeterorum, *zain*: uti arabicum *ze*: uti Graecorum *z*: uti *Anglorum*, *Italorum*, Illyriorum et Polonorum *z*: uti Gallorum finale *s* et *x*, ante uocales: item *Atticorum*, *Belgarum* et *Holſatorum* initiale *s* ante uocales: uti Romanorum, Bononienſium, Florentinorum, et plerorumque Longobardorum, *s* in initio ſyllabarum mediarum. ex. gr. *medeſima coſa*.

*Z* Hungaris ante *s* ſonat uti *s*; et ante *ſz*, uti *ſz*. ut: *ſzárazſág*; *drazſza* (*ſzáraſſág*; *draſzſza*). Pariter ante *t* ſonat *ſz*. ut: *marazt*, *ébrezt* (*maraſzt*, *ébreſzt*). Mutatur interdum in *gy*: *gyanakſzik*, ab antiquo *zanakſzik*, opinatur, ſubſpicatur. Mutatur aliquando in *r*; *tengër* ab aſiatico *dengiz*, (mare); *ökör* a ſcythico *öküz* (bos); *fejér*, ab antiquo *bejdz*: etiam Turcis *bejáz* (albus). Mutatur etiam in *cz* frequenter: *Dëbrëczën*, *Döbröczön*, a ruthenico *Dobrezin*. Mutatur in *ſz*: *ſzip*, *ſzép*, a perſico *ziba*, pulcher, ornatus: *oſztán* (tamdem,

 poſt-

poſtea) ab *az-után*, poſtea. Mutatur etiam in *s* creberrime. Verbi gratia: *ISTEN* a perſico *iizdæn*, *iizdan* (Deus): alias *izid*; quod ab *Iſide* uidetur petitum (*). Scythico-Mogoricum Nomen DEI, *Tanre*, *Tangre*, *Tangri*, quod Maioribus noſtris uſitatum fuerat, iam div obſoleuit. In ſacris quibusdam monumentis, ſev inſcriptionibus, adhuc ſupereſt, idque gotthicis ſcriptum characteribus.

(*) Conſidera, ſi uis, linguas Europaeorum omnes: eo quaelibet uocabulo uocat DOMINVM DEVM, quod *profanae* eſt originis. Nos tamen *profanam* illam, uolo dicere, *ethnicam*, Diuini Nominis originem duobus modis pie ac religioſe compenſamus.

1. Nomen *Háláb*, uulgo, *bálá*, Hebraeis et Chaldaeis fertur adceptum re quam uerissima. Deriuatur ab האלוה *haeloah*: in uulgari dialecto *báloah*, comtracte *báláb*: ſed in antiquiori, *baaloeh*, uel potius *Háloeh*, o DEVS! Quoniam in *precationibus* et *gratiarum actionibus* non ſolum *exordium* ſolebat fieri ab hac *inuocandi* formula, *Háloeh*, *Háláb*; ſed eadem *ſæpius* etiam *repeti*: Maioribus noſtris uſv ueniebat *Gratias ipſi ſoli DEO agendas* peculiari uocabulo *Háláb* (*Hálá*) ſignificare. Hodiedum, uſv noſtro, ad unum DEVM pertinent formulae — *Háláb lédjën! Adjunk hálábt! Hálábkat adunk tënëkëd*! Agimus tibi gratias!

Vſurpatur uero tamtum in *primo* et *quarto caſv ſingulari* atque *plurali quarto*. Scire licet, *Háláb*, gratiae: *hálábt*, gratias: *hálábkat*, multas gratias. (Vulgo, *hálá*, *hálát*, *hálákat*). Neque ullum umquam *ſuffixum* aut *particulam* admittit: niſi fors in poſterum ampliorem ei ſtructuram comciliemus et ſignificantiam. A loquendi modo, *hálábt adni*, habemus compoſitum adiectiuum, *hálá-adó* (*qui gratias agit*, *qui gratum habet animum*): hinc uero ſubſtantiuum nomen *háládás*, uulgo *háládás*, gratiarum actio. Vtrumque ad unum DEVM pertinet proprie. Ab *háládás*, uel fere obſoleto *háládat*, uenit *háládatos*, gratus (grati animi), et *háládatosſág*, gratitudo, (animus gratus); item *háládatlan*, ingratus, et *háládatlanſág*. quibus etiam *homini debitum*, *praeſtitum* aut *negatum*, *officium* exprimimus. Proprie tamen is dicitur, etiam ratione hominis, *háládatos*, quem ſcimus, aut credimus,

mus, uel certe ponimus, precibus ac uotis, nobis *grates* et *habere* et *agere*: inproprie uero, qui *gratias refert*.

Porro, ab *Háláb* fit uerbum *hálábl* (*hálál*, formae *hiphil*): quo utrumque officium exprimimus. *DEO gratias agit*, *laudes tribuit*: homini uero, idque paulo uſitatius, *grates refert*. Ab hoc ipſo uerbo demum oritur uerbum formae *hithpahel* (et quidem compoſitae. XVII.) *hálálkodik*, uulgo *hálákodik*. Vſurpatur de eo, qui *DEO gratias agendo* et nobis *bene precando* ſe ſe inſinuat. Sed in malo ſenſv capitur ut plurimum. Nimirum, aut de eo, qui ſcitur uel certe ponitur eſſe homo fucatus ac *adulator*: aut uero de eo, quem, alias ſincerum, ut *adſentatorem* traducunt inpii et inprobi.

2 *Jéhova*, (*Jëhóva*), praeſertim ſuperioribus ſeculis, et hoc ineunte, uiguit: hodie quoque ſatis frequenter adhibemus pro UR, Dominus; item, UR ISTEN, Dominus Deus. In exordio precum, *Jéhova*! *Jéhova*! Domine! Domine! Vel, *Domine! Domine Deus!* Vel, O *AETERNE*! DOMINE DEVS! Alias frequenter additur *ISTEN*: ſed *Jéhova* manet. inuariatum. *UR Iſten* quoque dicitur: at prius inuariatum manet pariter. *A Jéhova Iſtent; az Ur Iſtent.* In eo diferunt, quod prius uix admittat ſubfixum ſev *pronomen* poſſeſſiuum. *A mi Jéhova Iſtenünk* : *a mi Urunk Iſtenünk*, Dominus Deus noſter. *A mi Ur Iſtenünk*, non bene: neque *a mi Jéhovánk Iſtenünk*. Dicunt tamen aliquando: *Ób ën Jéhovám, édës Iſtenëm! Te vadj a mi Jéhovánk*! Mea quidem ſententia merito imitandus eſt Interpres, qui reddit, *Jéhova*, *Jéhova Iſten*. Et Gallicus recte ac ſignificanter pie que interpretatur, *Éternel*: quamuis mihi non uideatur omnem Diuinae illius *Nominationis* ſenſum exhaurire.

Propterea uero haec obſeruo, ut ii, quorum intereſt, diligenter ac deuote ſuis eadem inpertirent, *reddita ratione originis utriusque uocabuli*: quod, nimirum, poſterius *a ſe exſiſtentem ac aeternum* atque *eum, quem DEVS ſe fore conſtituit* atque *declarauit*, *ſemper futurum*, ſignificantiſſime nobis exponat: prius uero petitum ſit a dictione, quae *ENTIS colendi* ac *timendi*, *adorandi que NVMINIS* notionem inuoluit. Quilibet itaque illum eumdem loquendi modum, *Hálábkat adunk*, uſurpaturus, poterit ſimul *mente deuota haec uoluere* atque comprehendere — *Mindën Iſteni-tiſztëletët*, *tiſztësſégët*, *dicsóségët*, *hálá-adáſt* és *dicséretët* egéſz *féléleműel* és *imádásſál tulajdonitunk tënëkëd*!

Cur

Cur uero non possit ab הלל *bálál* et *ballel*, aut ex alio quocumque demum fonte ortum putari; sufficientem dabimus in *Etymologico* nostro *Lexico* rationem. Non est instituendum ullam Criticen ad modum *Otrokotsii*, aliorum que, sev fungentium uita siue iam ea defunctorum; quibus ex quouis ligno solitus, atque solet, fieri Mercurius.

# SECTIO II.

## *De Syllabarum diuisione atque collectione.*

### §. I.

Natura Linguae nostrae plane non fert *diuisionem syllabarum*, quam nostri hodiedum adhibent. *A ba-lot-tak-nak fël-tá-ma-dá-sok fe-löl pe-dig nëm ol-vas-tá-tok-è a mit Is-ten mon-dott nék-tëk il-lyen mó-don*: *En va-djok Ab-ra-bám-nak Is-te-ne.* etc. *Az Is-ten pe-dig nëm bol-tak-nak, ba-nëm é-lők-nek Is-te-nëk. Sze-res-sed a të U-ra-dat Is-te-në-det tel-jes szi-ved-böl* etc. Sed hac ratione distinguendum atque legendum *A bal-ott-ak-nak fël-tám-ad-ás-ok fel-öl — mond-ott — mód-on*; *nëm bolt-ak-nak, ba-nëm él-ők-nek Is-ten-ëk. — UR-ad-at IS-TEN-ëd-et tel-jes sziv-ed-böl.*

Sic, *bat-al-om*: q. *bat-ol-om.* In inflexione ac deriuatis, *o* excidente, *m* cum praecedentibus colligitur. Imo antiquis ipsum *thema* fuit *batalm, batolm* (*irgalm, këgyelm, engëdelm,* caet.) *Hat-alm-at, hat-alm-as-on, hat-alm-az-ék.* Sic, *biv-at-al-os*; *fog-an-at-os-an*: *ép-ül-és-ünk-et*: *rág-alm-az-ás-ok-ért.*

Nobilissimum ac incomparabile hoc Idioma requirit eo pacto instituendam esse *collectionem* literarum, ut, *quotquot syllabas* adieceris, *totidem* tibi semper *ex iisdem resultent notiones.* ex. gr. *Ép* (est radix)

radix) ſignificat, *integer*: adiecto *ül*, fit Verbum neutro-paſſiuum, *épül* (redintegratur; reſtituitur; aedificatur): adiecto *és*, deriuatur nomen *épülés* (reſtitutio; aedificatio): adiecto pronomine poſſeſſiuo *ünk*, fit *épülésünk* (reſtitutio noſtra, noſtri): adiecta denique nota *caſus quarti*, fit *épülésünket*, reſtitutionem noſtri. Sic, porro, *fog* (eſt radix) *capit.* etc. adiecto *an*, fit uerbum neutro-paſſiuum, idque reciprocum, *fogan* (concipitur; uires ſumit; radices agit): adiecto *at*, ſiet ſubſtantiuum nomen, idque abſtractum, *foganat*: adiecto *os*, fit adiectiuum, *foganatos*: adiecto tamdem *an*, fit aduerbium *foganatosan.* Porro autem, *rág* (eſt radix), rodit; mordet: 2) detrahit. Adde *alm* (*alom*), fit *rágalm* (*rágalom*), morſus, roſio: detractio. Adde *az* fit uerbum hiphil, *rágalmaz*, (morſat): *obtrectat.* Adde *ás*, fit *rágalmazás*, (morſatio): *obtrectatio.* Adde incrementum *ok*, fit plur. *rágalmazások*, *obtrectationes.* Vel, ſi eamdem adiectionem ſumas pro *ſubfixo*, ſev *pronomine poſſeſſiuo*, ſignificabit, *obtrectatio eorum.* Denique adiice particulam poſtpoſitiuam *ért*; orietur *rágalmazásokért*, *propter obtrectationes*, et, *propter obtrectationem eorum.* En incomparabilem Linguae indolem!

Cogito, quid hic obiecturus eſſes. Sed reſpondebunt tibi latina *ad-eris*, *ſuper-eris*, *praeter-ibis*, *uen-eunt*, *uen-ibunt*, *uen-ire* diſtinguendum a *ue-nire.* In his conſonae *d*, *r*, et *n*, ſequentium uocalium uidentur eſſe comites: id tamen non moraris.

§. II. Quamquam *ebraea propago* fere omnis et potuit et poſſit eferre *duas conſonantes* in initio uocabuli *ſine uocali* poſitas: tamen ad modum caeterorum *Aſiaticorum*, Scythis nimirum qui cognati fuere, Maiores noſtri aut *interſeruerunt* aut uero *praemiſerunt* uocalem *e* uel *i*, aut fors aliam *ſequen-*

*tibus*

*tibus respondentem.* ex. c. a nomine *Stephanus* et *schola*, plebs quaedam dicit *Estván*, *Eskola* : sed frequentius *István*, *iskola* : usitatius tamen est, *oskola*. Cultiores coeperunt eferre, *schóla*, *skóla*. Sic *Ferencz* a *Franz* : *Kërësztjén*, et *Kërësztény*, a uoce *Christianus*. Cultioribus nullam amplius parit luctam prolatio. Sed infima, cum primis, rustica, plebs dicit *Karajtzár*, *Faranczia*, *Engëlus*, *Angëlus*, *porobál;* pro *Anglus*, *Franczia*, *krajtzár*, *próbál*.

Caeterum, ab Illyriorum *brat* (frater) habemus *barát* (*amicus* : item, *monachus*). Ab eorum *Kral* (rex) dicitur *Király*, *Királj* : certae plebi, *Kërál*, et *Kërá'*, *Kirá'*. Russis uero *Korol*. Hicce mos noster communis est cum Othomannicis etiam. v. c. Vocant illi Graecorum templum *Kiliz*, ab *Ecclisia*, id est, *-clis-*. Hinc certam *Thraco-Romaniae* ciuitatem *XL Ecclesiis* dictam, uocant *Kyrk-Kiliz*.

Idem porro adcidit, et quidem frequenter, in media quoque et extrema dictione. v. c. *oroszlán* ab asiatico *arslán* (leo): *haszon*, praestantia, commodum, utilitas; ab arabico *husn*. Sic *batalom*, pro *batalm*; *álom*, pro antiquo *álm*; *értelëm* pro *értelm;* *sarok*, pro *sark*: *bóldogàb*, pro *bóldogb*. caet. Contra, elisa uocali postrema, frequentius alia comtrahimus uocabula. v. c. *tart* (tenet), a persico *dared*, tenet, tenebit.

# SECTIO III.

## *De Nomine, et iis; quae illi adcidunt.*

### §. I.

Pleraeque in *Asia* linguae *demonstratiuis* ac *emphaticis*, quibus *nomina* adficerent, *articulis* plane destituuntur. Nostra *duobus* gaudet: quorum unum *Ebraeis*

*Ebraeis* ferimus adceptum; alterius autem usum Europaeis tribuimus.

Articulus *ëdj* (*ëgj*), petitus a numero *ëdj* (*unum*), respondet *indefinitis articulis* Germanorum, Belgarum, Anglorum, Italorum et Gallorum. Articulus *a* mutuatus ab Hebraeorum articulo ה, *determinat* rem ad modum definitiuorum *der, die, das*; *the*; *il, la, lo*; *le, la*; ac ad modum slauonici *ten, ta, to*. Sunt tamen quidam loquendi modi, qui non definiunt. v. c. *nëm tudja az embër; mondhatja az embër*; et alii, qui nobis usurpantur, uti Germanis illud *man*, Anglis *one*, Gallis *on*. Alias, *nëm tudja embër*, etc. Quando Enunciatio *emphasi* non indiget; *priorem* articulum prorsus necligimus: tanto magis *posteriorem*.

Si *nomen* incipiat a *consona*; purum *a* praemittimus: si uero a *uocali*; euphoniae consultori, literam *z* adiicimus. Itaque *apostrophus*, quo nostri hodiedum utuntur, ex. c. *a' város*, locum non habet.

Vtrumque *articulum* admittunt etiam *adiectiua* nomina, si habeant *substantiuum* aliquod, quamuis *implicitum*, ad quod referantur; eoque magis, si in eadem id enunciatione praecedant. *Szërëzz nékëm ëdj belyës Prókátort*: *szërëzz nékëm Prókátort, ëdj belyëset*: commenda mihi locupletem ac aptum (aliquem) Causidicum. *Szërëzd-mëg magadnak azt a könyvet*. Compara tibi librum illum. *Az elsőt-è, vagy a másodikat?* Primum ne an secundum?

Etsi plura comstruantur cum uno Substantiuo adiectiua; *articulus unus* subfecerit. Potest uero uterque *articulus* a nomine suo, non tamtum *adiectiui*, sed etiam plurium aliarum Orationis partium, interiectione, quam elegantissime remoueri. *Edj*, közönségës hasznra szűletëtt jelës *embër*.

So-

Solet etiam dici quibusdam: *a közönségës bafzonra*, uel, *közönségës bafzonra fzülétëtt ëdj jelës embër. A*, hazánk javát mindënképen elő-mozdítani kívánó, jô és ëgjenës lëlki-ësméretű *bazafiaknak* nëm këll ellenëk járnunk.

Pronomina quoque tam *relatiua* quam *poſſeſſiua* patiuntur articulum *definitiuum a* (*az*): *az enjim, a miénk, az övéket*; *a ki, a mëllj*. Pronomen *valaki*, aliquis (compoſitum ex arabico, alias etiam ſyriaco, *falan*, ὁ δεῖνα, et pronomine *ki*), et per ſe, et, in primis comſtructum cum articulo *ëdj*, nimirum *ëdj valaki*, ſignificat idem, quod Graecorum ὁ δεῖνα, *certus quidam*, talis et talis. Noſtrum *articulum propria* quoque nomina patiuntur.

§. II. Vt apud Aſiaticos pleroſque, ſic apud *Hungaros* nulla eſt *generis uarietas*. Poteſt unum idemque epitheton, *absque terminationis uariatione*, *quuilibet nomini* adiici. Nihilo tamen ſecius poſſumus *ſubſtantiua* quaedam nomina quadam ita dicta *motione* diſtinguere: ſcire licet *uiros* inter et *feminas*, uel potius *heros* ac *dominos* inter et *heras* ac *dominas*, etc. inſtituere diſcrimen. *Királj*, Rex, *Királjné* (*Királné*), alias, *Királj Aſzſzonj*, et *Királjné Aſzſzonj*, Regina. *Gróf*, *Gróf Aſzſzonj*, Comes; *Grófné*, Comitiſſa. *Gubernátorné*, Domina (Coniux) Gubernatoris. *Vicé-Iſpán*, uulgo, *Vicéſpán*, Vice-Comes: *Vicé-Iſpánné*, Domina, coniux, Vice-Comitis. *Biró*, *Prókátor*, Biró*né*, Prókátor*né*, uxor Iudicis, Procuratoris. *Patikáriusné*, *Sütőné*; uxor Pharmacopaei, Piſtoris. *Budai*, Budai*né*, *Kegyës*, Kegyës*né*; *Budai Pálné*, *Kegyës Iſtvánné*. Vxor Pauli Budai, Stephani Kegyës; uel Domina *Budai*, *Kegyës*: aut, *Budaiana*, *Kegyëſiana*.

Sunt, praeterea, alii modi *ſexum* a *ſexu* *diſtinguendi*. *Férjfi-embër*, uulgo, *férfi-embër*, homo mas, uir:

uir: *aſzſzonj-embër*, homo femina; dicitur alias, *aſzſzonji-állat*. Breuiter autem, *férjfi*, uir; *aſzſzonj*, femina. item, *férj*, maritus; *aſzſzonj*, marita. *Férjfi-gyermëk*, uulgo, *gyermëk*, puer; *lëánj-gyermëk*, uulgo, *lëánj*, *lánj*, *lján*, *ljánj*, *jánj*, *lëán*, *lëánzó*, puella. *Him oroſzlán* leo; *nőſtény-oroſzlán*, leaena. *him-galamb*, columbus; *nőſtén-galamb*, columba. Sunt alia, quae nunc ego praetereo.

§. III. 1) Auctio *ſignificationis comparatiuae* fit adiecta *Poſitiuo* litera *b*: quae non inmerito uidetur mutuata a terminatione hebraici טוב, tôb, *bonum, bene*: aut uero a prima litera perfici *bib*, bonum. Hungaris enim adiectiuum *jó*, (bonum), et aduerbium *jól* (bene), non tamtum *bonitatem rei et actionis*, ſed etiam *intenſionem* ſignificat frequenter. *Jó*, bonus, a, um; *jób*, uulgo *jobb*, melior, melius: *ſzép*, pulcher; *ſzëpb*, uulgo *ſzëbb*, pulcrior: *baſznos*, utilis; *baſznosb*, uulgo *baſznosabb*, utilior; *fejér*, albus; *fejérb*, uulgo *fejérebb*: *fekete*, niger; *feketéb*, uulgo, *feketébb*.

Adiectiua quaedam, propter naturam *conſonae finalis* ac *euphoniam*, nonniſi interiecta uocali *a*, *o*, *e*, hanc terminationem admittunt: *lágyáb*, uulgo *lágyabb* et *lágyabb*, mollior: *nagyób*, uulgo *nagyobb*, maior; *fösvényéb*, uulgo *fösvényebb*, auarior; *boldogtalanáb*, uulgo *boldogtalanabb*, infelicior. Si antiquorum erroneum ſcribendi modum, *ammint ezënn az óránn s ezëmn a belyënn*, caet. hodierni, ſcire licet, cultiores non morantur: eadem ratione poteſt etiam ſuperfluum *b* hinc abeſſe.

Poſſunt *Subſtantiua* quaedam adiectiuorum inſtar adhiberi, atque in *comparatiuo* quoque *gradu* uſurpari: *gyermëk embër*, ánál *gyermëkëb* embër; *csuda dolog*, *csudáb* dolog ez ánál.

2. *Intensio superlatiua* fit α') uocula *leg* ipsi *Comparatiuo* adiecta. *Leg-jòb*, *leg-szëpb*, *leg-baszno sàb*, *leg-fejérèb*; optimus, pulcherrimus, utilissimus, albissimus. β') Exprimitur porro *intensio*, iuncta ipsi *Positiuo* particula *igën*, (ualde): *igën-jo*, *igën-basznos*; *igën-fejér*; *igën-szép*; *ualde bonus*, optimus, *permultum utilis*, utilissimus, *peralbus*, albissimus, *pulcher admodum*, pulcherrimus. Quisquis es, obserua, *igën-jó*, caet. significantius esse quam *igën jó*, caet. quippe illud *habitum* interpretatur; hoc uero *actum* aliquem denotat. En ergo paradoxum! Potest aliquis esse *igën jó*: non tamen igitur est *igën-jó*.

Particulam *leg* (olim *lyeg*, *jeg*: uti blaesis hodiedum etiam profertur) eamdem esse cum scythico *jeg*, (*melius*), certissimum. Nec minus incertum, aduerbium *igën* (olim *jëgën*; hodie uero plebi quuidam, *ëgën*), indidem esse mutuatum. Ad sensum itaque Comparatiuus *nagyòb* dicit, *bene magnus*; Superlatiuus autem *leg-nagyòb*, et, *igën-nagy*, *melius maius*, meliuscule maius.

Fit interdum *intensio* superlatiua *positiui geminatione*, ad modum Ebraeorum atque etiam Turcarum (*tob tob*, ualde bonum; *csok csok*, permultum). ex. gr. *sok sok*, *szép szép*, *jó jó*; permultum, perbellum, bonum utique, bene sane.

3. *Intensio* porro *Superlatiui* nobis fit, *iteratione intensiuae* particulae *leg*, Coniunctione copulatiua *és* (et) intercedente: *leg-és-leg-jòb*; uulgo profertur *legës-leg-jobb*, peroptimus; bonorum optimus; optimorum optimus; omnium optimus. Iterum obserua *leg-és-leg-jòb* significantius esse quam *leg-és leg-jòb*: illud enim *habitum* ipsum, hoc uero *actum* tamtummodo, uel *uicem aliquam*, interpretatur.

§. IV.

§ IV. *Numerum* habent Nomina *duplicem*: altero rem *unam*; altero uero *plures, quam unam*, significamus.

*Plurale* Nomen formant *Persae* aliquando adiecta terminatione *kan*: quod aliqui *kján*, alii *tján*, alii uero *gyán* proferunt. Illud *k* seruant *Armeni* et *Hungari*, terminatione *an* per apocopen abiecta. Armenis, *Orti*, filius: *Ortik*, filii. Hungaris autem formatur in *ak, ok, ek, ëk, ök*, aut cum aliqua diphthongo *ák, ók, úk, ék, ők, űk* (ex *aak, oak, uak, eek, öek, üek*; uti certa Nationis nostrae dialectus eferre adsolet). *Esztërbáziak, Urak, sokak; Pálok, nagyok; népek, nëmësek;* nëmzetëk, széрëk, tűkrők, Püspökök: *Birák, ritkák; birók, jók; falúk, boſzſzúk; ekék; idők, jövendők; bëtűk*: a singularibus, *Esztërbázi, Ur*, Dominus, *sok*, multus; *Pál*, Paulus, *nagy*, magnus; *nép*, populus, *nëmës*, nobilis; *nëmzet*, natio, *szép*, pulcher; *Biró*, iudex, proprie, possessor, *ritka*, rarus, infrequens, *jó*, bonus; *falu*, pagus, *boſzſzú*, longus, prolixus; *eke*, aratrum; *idő*, tempus, *jövendő*, futurum; *bëtű*, litera.

Pronomina atque Participia eamdem seruant legem. *Ezëk, azok*, a sing. *ez, az*: *olvasók, olvasottak, olvasándók, olvastattak, olvastatándók*; a singul. *olvasó*, legens, *olvasott*, qui legit, item, quod lectum est, *olvastatott*, lectus, *olvasandó*, lecturus, *olvastatándó*, legendus.

Sciendum est, adcedente aliquo *suffixo*, sev *pronomine possessiuo*, aliam, loco literae *k*, *notam* adsciſci; nimirum ab Hebraeis, Chaldaeis et Syris, Characteristicam Pluralis, *i*, mutuari atque *infigi*. ex. c. *Biráim, biráid, birái* (Comtractum ex *biraio*), *biráink, biráitok, biráik*; Iudices mei, etc.

Peculiaris est *Idiomatis* huius elegantia; quod unumquodque Nomen *singulare* possit, modo uelis, *collectiue* usurpari. *Hánj Esztërbázit* ësmérsz, pro, *hánj Esztërbáziakat*; quot Esztërhazios? Tudok *bat Urat*; pro, *bat Urakat*, sex Dominos. *Mindën embërt* szeretëk, pro, *mindën embërëket*; omnes homines. *Sok eke vadjon èben a bárom falúban*, pro, *sok ekék vadjnak ezëkben az bárom falúkban*; multa numerantur in tribus his pagis aratra.

§. V. Ad legem caeterarum Linguarum numerant nostri hodie *sex Casus* Nominum. 1) *Embër, az embër, homo.* 2) *Embërë, az embërë*, hominis. 3) *Embërnek, az embërnek*, homini. 4) *Embërt, az embërt*, hominem. 5) *Ob embër*, o homo! 6) *Embërtől, az embërtől*, ab homine. Sic in plurali. 1) *embërëk.* 2) *embërëké.* caet.

Si *sextus* ille inter *Casus* referatur: poterunt eadem ratione, pro numero *postpositionum inseparabilium*, 12 uel 13 alii superaddi. Mihi quidem, habita Idiomatis antiqui ratione, sunt *quatuor.* 1) *Primus;* quo rem aut actionem aliquam *adpellamus* et *uocamus.* Quum *determinatam* denominamus; articulum *a*, uel *az*, praemittimus: si uero *indefinitam*; articulum *ëdj* adhibemus, ubi emphaseos id requirit ratio: sin minus; necligimus. Quum autem rem uel actionem aut *personam uocamus* aut *adloquimur;* aliquam interiectionem *uocantis, exclamantis, admirantis*, aut *dolentis*, *ób! bèj! baj!* praemittimus: aliquando uero omittimus.

2. *Secundus* Casus est duplex *α*) ű, *ú.* *β*) *nek, nak.* Quorum posteriore *possessionem relatiuam*, hoc est; addito *corelato*, siue *re possessa*, exprimimus. *Embërnek kónyve; embërnek a kónyve;* item, *kónyve az embërnek;* liber hominis. Priori pariter *possessionem relatiuam* exponimus, sed numquam sine

*epi-*

*epitheto*; et nonnisi in *unitatis numero*; idque ad *rationem collectiuorum* aliquando. Praeterea hoc intereſt, quod prior idem *reciprocatam inplicet poſſeſſionem*; hoc eſt, *mutuae poſſeſſionis* fundat ſenſum. *Sok könyvű embër*, homo multorum librorum : *nagy*, *kicſinj*, *fejű gyërmëk*, puer parui, magni, capitis.

Si *quui* quid *dandum* aut *tribuendum* ſit, eo, quod actv is idem *poſſideat*, aut iure uel aliqua id ratione *habere* debeat; caſv illo in *nek* ac *nak* terminato utimur. *Adjunk hálábt ISTEN*nek! Agamus DEO gratias. *Csak ëgjedűl ő ſzent Fëlſégének tulajdonitsunk mindën dicséretet*: unice (ſuae) Maieſtati Diuinae tribuamus omnem laudem. *Tënëkëd köſzönöm*, hodj tudom ezt : *tibi* fero adceptum, quod hoc compererim, ſciam. *Köſzönöm az Atyádnak*, hodj tudtomra adta : ago patri tuo gratias; habeo grates, quod certiorem me fecerit.

Pari modo fit, quum aliquod *nomen* aliquui tribuimus aut *qualitatem* : ubi, nimirum, adhibemus uerbum aliquod *uocandi*, *aeſtimandi*, aut *ſenſus*, *opinionis*, *cognitionis*, et ſimilium. Sciendum uero hic inuerſam plane eſſe ſtructurae rationem. namque *id*, quod (re ipſa) *tribuimus*, etc. in *hoc ipſo caſv* fingimus; *eum* uero aut *id*, *quui tribuimus*, etc. caſv *quarto* ſtatuimus. Eſt tamen actus *tribuendi*, quamquam inuerſus. *Minek mondják*, *nevezik*, *csúfolják*, *köſzöntik*, *tartják*; *mitsoddásnak ballják*, *tapaſztalják*. *tudják*, *itélik*, *állitják* (non *alitják*) *őtet*? Quemnam uocant, nominant, putant etc. illum? qualem audiunt, experiuntur, ſciunt, iudicant, exiſtimant, illum eſſe? *Poſonnak tartom azt a várost*: puto Poſonium eſſe ciuitatem illam. Obſerua : *Poſonnak tartok*; Poſonium uerſus dirigo iter.

Scytharum *caſus poſſidendi* formatur in *nük*: quod hodie proferunt alii *nünk*, alii *nüng*, alii,

 Tur-

Turcarum ad modum, *nün*, *nin*, post consonas, *ün*, et *in*. Genuinam *illam* sequitur nostra terminatio *nak*, *nek*; prior quidem, si *masculinus* aliquis sonus, aut *i masculinum*, praecedat; posterior uero, si sonus *femineus* antecedat, aut *i femineum*. *nyárnak*, *télnek*; *víznek*, *'sirnak*.

Turcae nonnisi *post uocales* adhibent *nün*, *nin*; post *consonas* amant *ün*, *in*: quocum Armenorum Genitiuus plane *comgruit*. ex. c. *ortin*, filii, ab *orti*, filius, *Terminatio* nostra *ű*, et *ú*, petita est a terminatione *ün*, finali illo *n* abiecto.

*Tertius Casus* desierat olim in *be*, *ba*; quod post consonas sonuerat *e*, *a*: hodie uero nominum eorum, quae *femineos* habent *sonos*, definit in *é*; eorum uero, quae *masculinis* gaudent, exit in *é*, et *á*: (euphonico quidem *j*, uel *v*, uel *d*, sicubi requiritur, interiecto). Quorum, scire licet, masculinorum, *priori* pariter *possessionem*, at *sine relatione*, indicamus: hoc uolo; non est necesse, ut *res possessa* semper exprimatur. *Posteriore* uero terminatione aliquando *motum ad locum*, item *relationem rei ad aliam*, ut *causam*, *obiectum* ac *subiectum*, uel *auctorem*, etc. usitatius uero, *mutationem in alium statum*, interpretamur. *Molliorum* autem uocum terminatio *é* sola haec omnia obit munia. *Edj* kőnyv *vadjon nálam*; nĕm tudom *kié* (ad quem). *Kié az a kőnyv? Ad quem?* Ecquuius est is liber? *Az é az embĕré*: ad uirum illum: est uiri illius. *Az ővé: ad illum*: est eius. *Az őtsémé*, *bátyámé*: *ad fratrem*: est fratris. *Hová* (alias, *bova*) *mĕnt*? Quo uasit? *Ide*, *oda*; huc, illuc. Proprie sunt *pronomina tertii casus*: olim *'kboba*, *boba*; *ibe*, *oba*: *boa*, *ie*, *oa*. Euphonice *v* et *d* intercessit, uti supra laudabam. Post propria *urbium* et *pagorum* nomina in *r*, eamdem adhibemus terminationem. *Gjőré*, Gaurium,

Iau-

Iaurium, fev, Iaurinum (it), *Kolosvárá*, Claudiupolin. Alii, euphoniae gratia, proferunt *Gjörré*, *Kolosvárrá*. quod tamen probe diftinguendum a *Gjörre*, *Kolosvárrą*: nam poftpofitio *re*, *ra* his in exemplis, *transitum* inuoluit. Exempla *mutationis in alium ftatum*, funt: *Němèsé*, *jóvá*, *nàgyá*, *Prókátòrá* (uulgo, Nemessé nagygyá, Prókátorrá) *lëtt*; *vált*, *tëttëk*. Nobilis, probus, magnus, caufidicus, euafit, factus eft. Sic, *jóvá hagyom*, adprobo. Quaedam dialectus ufurpat; *bol lëtt Prókátor*, *ollj fzép*, *ollj nagy*? pro, *Prókátòrá*, *fzépé*, *nàgyá*. Nos non utimur: nifi forte *uerfus* aut *rhythmus* exigat.

Afiatici eodem *cafu tertio* exprimunt *dandi* ac *tribuendi* actionem, atque etiam *motum ad locum*. *Ad quem* refertur hoc? *Quui* tribuendum hoc? Hinc orta *poffeffionis* idea, *quuius* eft: quae nobis in primis ufu ualuit. Vfus quoque docuit fignificatus reliquos, ab hoc, *accentu aliquo* diftinguere: quem ego *graui notula* uelim commendare potius, quam, ut uulgo fit, *duas confonas* mentiri.

Obferuandum, cultioribus fcribi, *kié*, *atjáé*: uulgo uero et proferri et fcribi, *kijé atyájé*, caet. Non uideo, cur uitio uerti poffit: nam Turcae quoque addunt *j* poft uocales; *ataje*, ad patrem, patri, patris; *fuje*, ad aquam, aquae. Caeterum et noftri quando *mutationem in alium ftatum* exprimunt, addunt *v* euphonicum, *jóvá*, *tsudává*, *kővé*, pro *jóá*, *tsudáá*, *kőé*. Praeterea etiam *poffidendi* cafibus in *ű*, *ú*, inferunt *j*: *anjájú*, *epéjű*, pro *anjáú*, *epéű*.

4.) *Quartus* eft *Cafus*, quo *actionis* aliquuius *caufam*, fev *obiectum* fiue *caufam obiectiuam*, fignificamus: is que characteriftica terminatione *at*, *ot*, *et*, a caeteris diftinguitur. Haec ipfa *characteriftica* ea-

dem eſt cum Ebraeorum *nota Adcuſatiui* את *ath*, *eth*: quam nobis moris eſt, uti et alias Ebraeorum *particulas praepoſitiuas*, non *praefigere*, ſed *ſubfigere*: ut ſupra iam obcupaui. Poſt certas literas uocalis *a*, *o*, *e*, exſpirat in ſingulari. ut *Pál't*, *embër't*, *oroſzlán't*, *más't*; quibusdam *mássat*. Imo ſunt permulta, quae duplici modo formant *belyt*, *belyet*, *kalánt*, *kalanat*. Exſulantes illae uocales, cum uocalibus, quae nomina terminant, in *diphthongos* abeunt:. uti iam ſupra monuimus.

Hanc eamdem *notam* Armeni aliquando *praemittunt*, interdum uero *poſtponunt*: eamque *praemiſſam*, *ſeparant*; *poſtpoſitam adſigunt*. ex. gr. *Ez Aſzvatz*, DEVM: *aſz orti*, filium: *ortiket*, filios. *Ez*, euphonias ergo, pro *eſz*, *aſz*.

Si *nominibus* hungaricis pronomen 1*æ* aut 2*æ* perſonae *ſingul.* uel *pluralis* ſubfigatur; nota *Caſus quarti* frequentiſſime abiicitur: in uerſa oratione eo frequentius. Mutass'd az *írásod'*, az *írástok'*, pro az *írásodat*, *írástokat*. Láss'd az *írásom'*, pro, az *írásomat*.

Obſeruandum, *adiectiua*, etiam *numeralia*, item *participia*, ſi regulariter comſtruantur cum ſubſtantiuis, a quibus reguntur, hoc eſt, inmediate *praecedant*, manere *inuariata*: ſi uero *ſequantur*; aut eorum *ſubſtantiua* ſint *inplicita*, aut uero *ipſa ſubſtantiue* capiantur; per *caſus eosdem* in utroque numero *uariari*, uti *ſubſtantiua*. Variari et *pronomina relatiua* atque *reciproca*. Idem intelligi poſſe de pronominibus *demonſtratiuis*; ſi *definitiuus* intercedat articulus. ex. c. Ugjan-azon kőnyv, *a ki*, uulgo *a mëllj*: ugyan-azon kőnyv, *a kinek*, uulgo *a mëlljnek*: ugyan-azon kőnyv, *a kit*, uulgo *a mëlljet*, caet. *Az az írott kőnyv*: *ának* az írott *Kőnyvnek*: *azé* az írott *kőnyvé*: *azt* az írott *kőnyvet*: *azok* az irott *Kőnyv-*

*Könyvek*, etc. *A mëllj nagy* dolog: *a mëllj nagy* dolognak: *a mëllj nagy* dologé: *a mëllj nagy* dolgot: *a mëllj nagy* dolgok: *a mëllj nagy* dolgoknak: *a mëllj nagy* dolgokat.

§. VI. Sisto tibi *bos Casus* omnes in ipsis nominum *paradigmatibus*. quae quidem, ratione sonorum masculinorum *a*, *o*, *ó*, *u*, *ú* atque femineorum *e*, *i*, *ö*, *ü*, *ő*, *ű*, duum possunt esse generum. Soni etenim, qui in ipsis nominibus *dominantur*, sibi plane *congruentes desiderant uocales*, in *casuum*, quos admittunt, *charactersticis*. Quum uero uocalis *i* durior ac *uirilis* aliquando sit; interdum uero *efeminetur*: dabo eius in utroque censv exemplum.

Sing. 1) *Hal*, piscis. 2) *Halú*, piscis (et collectiue; *piscium*): *halnak*, piscis; pisci. 3) *Halé*, ad piscem; pisci; piscis: *Hàlá*, uulgo *hallá*, (in piscem. 4) *Halat*, piscem; Plur. 1) *Halak*, pisces. 2. *Halaknak*. piscium; piscibus. 3. *Halaké*, ad pisces; piscibus; piscium: *halàká*, uulgo *halakka*, (in) pisces. 4) *Halakat*, pisces.

Sic, *Ur*, Dominus. 2. Urú: Ur*nak*. 3. Ur*é*: ùr*á*. 4. ur*at*. Pl. 1. ur*ak*. 2. urak*nak*. 3. urak*é*: uràk*á*. 4. urak*at*. Sic, *Nyár*, aestas. 2. Nyârú: nyár*nak*. 3. Nyáré: nyâr*á*. 4, Nyárt, et nyar*at*. 1. Nyar*ak* (nyár*ok*). 2. nyarak*nak* (nyárok*nak*). 3. Nyarak*é* (nyárok*é*): nyaràk*á* (nyàrók*á*). 4. Nyarak*at*. Sic, *Nyugodalom* (*nyugodalm*). 2. Nyugodalm*ú*: nyugodalom*nak*. 3. Nyugodalom*é*: nyugodalòm*á*. 4. Nyugodalm*at*. - - 1. Nyugodalm*ak*. caet. Sic, *In*, (neruus) 2. In*ú*: in*nak*. - - 3. In*é*: în*á*. 4. In*at*. 1. In*ak*. caet. Sic, *Bátori* (Nom. propr.) 2. Bátori*nak*. 3. Bátori*é*: Bátori*vá*. 4. Bátori*t*. 1. Bátori*ak*. caet.

*Méltóság*, Dignitas. 2. *Méltóságú*: *Méltóságnak*. 3. *Méltóságé*: *Méltóságá*. 4. *Méltóságot*. 1. *Méltóságok*.

*ságok.* 2. *Méltóság*oknak. 3. *Méltóság*oké: *Méltóság*oká. 4. *Méltóság*okat. Sic, *indúlat*, indoles, adfectus. 2, *Indúlat*ú: *indúlat*nak. 3. *Indúlaté*: *indúlatá*. 4. *Indúlat*ot. 1. *Indúlat*ok. 2. *Indúlat*oknak etc. Sic, *dolog*, res; labor. 2. Dolg*ú*: dolog*nak*. 3. Dolog*é*: dolog*á*. 4. Dolg*ot*. 1. Dolg*ok*. 2. Dolg*oknak*. 3. Dolg*oké*: dolg*oká*. caet.

Porro, *Gazda* (herus). 2. *Gazdá*jú: *gazdá*nak. Breue illud *a* adcedente incremento *nak*, plerisque popularibus nostris *acuitur* ac *producitur*. Est tamen certa dialectus, quae corripit, *gazdanak*. 3. *Gazdá*hé, hodie *gazdáé*, (gazdájé): *gazdá*há, hodie *gazdáá*, frequentius tamen, ob euphoniam, *gazdává*. 4. *Gazdát*; certae dialecto *gazda*at, et *gazda*ot. 1. *Gazdák*. 2. *Gazdák*nak. 3. *Gazdák*é: *gazdáká*. 4. *Gazdák*at. Certae dialecto, *gazda*ok: *gazda*oknak: *gazda*oké: caet. Sic, *Biró*, iudex. 2. *Birá*jú: *biró*nak, plebi quuidam. *birá*nak. 3. *Biró*hé, hodie *biróé*, *biró*jé: *Biróh*á, hodie *biróá*, *biróv*á. 4. *Birót*, plebi quuidam, *birát*. 1. *Birók*. 2. *Birók*nak. 3. *Biró*ke: *biróká*. 4. *Birók*at. Vulgo, *Birák*: *birák*nak: *birák*é; *birák*á: *birák*at. Sic, *Tanú*, testis. 2. Tan*újú*: tanú*nak*. 3. Tanú*bé*, hodie, tanú*é* (tanú*jé*): tanú*bá*, hodie, tanú*á*, tanú*va*. 4. Tanú*t*. 1. Tanú*k*. 2. Tanúk*nak*. 3. Tanúk*é*: tanúk*á*. 4. Tanúk*at*.

*β* Sequuntur *posterioris census* exempla. Sing. 1) *Nyelv*, lingua. 2) *Nyelvú*, linguae, et linguarum: *nyelvnek*, linguae. 3) *Nyelvé*, ad linguam; linguae; et (in) linguam. 4) *Nyelvet*, linguam. Plur. 1) *Nyelvek*, linguae. 2) *Nyelveknek*. 3) *Nyelveké*: *nyelvèké*. 4) *Nyelveket*. Sic, *Szív*, cor. 2. *Szívű*: *Szív*nek. 3. *Szívé*: *Szívé*. 4. *Szívet*. 1. *Szívek*. 2. *Szíveknek*. 3. *Szíveké*: *Szívèké*. 4. *Szíveket*.

*Dicsé-*

*Dicsêret* (laus). 2. *Dicsêretű* : *dicsêret*nek. 3. *Dicsêretê* : *dicsêrtê*. 4. *Dicsêretët*. 1. *Dicsêretëk*. 2. *Dicsêret*ëknek. 3. *Dicsêret*ëké : *dicsêret*èké. 4. *Dicsê-ret*ëket. Adde, *öröm*, gaudium. 2. örömű : öröm-*nek*. 3. örömé : örömé (aut; si mauis, *örömmé*, uel potius *örömé*) 4. öromet, örömöt. Plur. 1. örömek, örömök. 2. örömeknek; örömöknek. 3. örömeké (öké) : örömèké. 4. örömeket (öket). Item, *Tükör*, speculum. 2. *Tükrű* : *tükör*nek. 3. *Tü-köré* : *tüköré* (uel, *tükörré*). 4. *Tükört*, alias *tükröt*. 1. *Tükör*ök; *tükr*ök. 2. *Tükör*öknek; *tükr*öknek. 3. *Tükör*öké; *tükr*öké : *tükör*öké, *tükr*öké. 4. *Tükör-*öket; *tükr*öket. Porro, *Idő*, tempus. 2. *Idejű* : *idő*nek. 3. *Idő*hé, hodie, *idő*é, *idő*jé : item, *idő*hé, quatenus *mutationem status* notat, hodie profertur *idő*é, et *idő*vé. 4. *Idő*t. 1. *Idő*k. 2. *Idő*knek. 3. *Idő*ké : *idő*ké : 4. *Idő*ket. Sic, *Bëtű*. Bëtű*jű*, bë-tű*nek*. 3. Bëtű*hé*, hodie bëtű*é*, bëtű*jé* : item. bë-tű*hé*, hodie, bëtű*é*, bëtű*vé*. 4. Bëtű*t*. 1. Bëtű*k*. 2. Bëtű*knek*. 3. Bëtű*ké* : bëtű*ké*. 4. Bëtű*ket*.

*Prior* modus *Casus secundi* comstructus, uti adsolet, cum aliquo *epitheto*, potest comcipi tamquam *primus casus*, siue *thema*, atque per omnes utriusque numeri casus *inflecti*. ex. gr. *Nagy batalmú*, magnae potestatis, potens. 2. *Nagy batalmú*nak, potentis; potenti. 3. *Nagy batalmúé*, ad potentem; potenti; potentis : *nagy batalmúvá*, (in) potentem. 4. *Nagy batalmút*, potentem. Pl. 1. *Nagy batalmúk*, *nagy batalmú*ak. 2. *Nagy batalmúa*knak. 3. *Nagy bat-almú*aké : *nagy batalmúaká*. 4. *Nagy batalmúa*kat. Sic, *Bátor sztvű*, 2. *Bátor sztvű*nek. 3. *Bátor sztvű-hé*, hodie, *bátor sztvűé* : item, *bátor sztvű*hé, hodie, *bátor sztvű*vé. 4. *Bátor sztvűt*. 1. *Bátor sztvűk*; *bá-tor sztvű*ek. 2. *Bátor sztvű*eknek. 3. *Bátor sztvű*eké : *bátor sztvű*èké. 4. *Bátor sztvű*eket.

Ob-

Obferuari meretur, *tertium Cafum*, quando *poffeffionem* fignificat, poffe tamquam *primum* comcipi, atque per *omnes* utriusque numeri *cafus uariari.* v. gr. *Iftené, az Iftené*, quod *ad DEVM* eft, refertur, pertinet; quod *DEO* comuenit, competit ac tribuendum eft; quod *DEI* eft. 2. *Iftenének*, az *Iftenének*, eius, et ei, quod DEI eft. 3. *Iftenébé*, hodie uero *Iftenéé, Iftenéjé*, ad id, fev ei, fiue eius, quod DEI eft. Item *Iftenébé*, hodie *Iftenéé, Iftenévé*, (in) id, quod DEI eft. 4. *Iftenét*, id, quod DEI eft. Plur. *Iftenéi*, ea, quae DEI funt. 2. *Iftenéinek*, eorum et iis, quae DEI funt. 3. *Iftenéibé*, hodie, *Iftenéié*, et *Iftenéijé*, ad ea, iis, eorum, quae DEI funt: item *Iftenéivé* (in) ea, quae DEI funt. 4. *Iftenéit.* Sic *Csáfzáré, a Csáfzáré*, id, quod *ad Caefarem* pertinet; quod *Caefari* competit; quod *Caefaris* eft. Sic, porro, *Királjé, a Királjé*, id, quod *Regis* eft. Sic etiam *Királjoké, a Királjoké*, id, quod *Regibus* competit. 2. *Királjokénak*, eius, et ei, quod Regum eft. 3. *Királjokébé*, hodie *Királjokéé, Királjokéjé*, ad id, ei, et eius, quod Regum eft: *Királjokébá*, hodie, *Királjokéá*, et *Királjokévá*, (in) id, quod Regum eft. 4. *Királjokét.* Plur. *Királjokéi*, ea, quae Regum funt. 2. *Királjokéinak*, eorum et eis, quae Regum funt. 3. *Királjokéibé*, hodie *Királjokéié*, ad ea, iis, et eorum, quae Regum funt: *Királjokéibá*, hodie, *Királjokéivá*, caet.

§. VII. *Nomina* funt alia *primitiua*, alia *deriuatiua*: horum item alia *fimplicia*, alia uero *compofita*. *Deriuatorum*, quae magis obuia funt, uel certe eorum, quae *Prodromus* hic ferre poteft; nonnullorum fimul *compofitorum*, inibo rationem. Sunt alia *Adiectiua*; alia uero *Subftantiua*: eaque partem *Nominalia*, partem uero *Verbalia*.

A.

*A.* Adiectiua sunt 1) *Materiae*; quando ipsa *materiae substantiua adiectiue* usurpantur. ex. c. *fa' tányér*, discus ligneus; *kő'ház*, domus lapidea: idem *fából-való, kőből-való.* Vide inferius. Operae pretium erit, ab ipsis substantiuis, *apostropho* distinguere. Sunt autem diuersa ab adiectiuis *fái, kői,* uel *kővi*: haec enim *possessionis* inuoluunt notionem. ex. c. *fái mogyoró; kői pá'sit.* Sic distinguenda sunt, *nád' fëdél; nádi veréb.* Item *földi embër; föld' embër.* Hoc significat *α*) proprie, *ipsum unum Adamum*: *β*) hominem *similem terrae. Földi embër*, denotat alia quatuor. de quibus in ipso *Lexico.*

2. Adiectiua *possessiua* ac *gentilia* fiunt nobis ex more *Hebraeorum*: quorum *Gentilia* semper in *i* desinunt. Vti et *Arabes* frequenter, *Persae* uero numquam non additione literae *i* formant *eadem*, etiam *possessiua* creberrime: id que proferunt interdum ut *ë*. Hungarica sunt: *Bécsi*, Vindobonensis; *Posonji*, Posoniensis (*Breslauiensis*); *Esztërg mi*, *Istrigraniensis*, uulgo Strigoniensis; *Komárromi*, Comarnensis, alias, Comorrensis; *Gjőri*, Gaurinus, uulgo Iaurinensis; *Poroszlai*, Preslauiensis; *Vecsei*, Vecsauiensis; *Kërëszturi, Szent-Gáli*, a fano Sanctae Crucis, S. Galli; *Londoni*, Londinensis; *Pétersburgi*, Petrupolitanus; *Koppenbágeni*, *Hafniai*, Havniensis. Item, *Ángliai, Dániai, Franczia-Országi.* Sed, in his et aliis, illud *i*, et *országi*, frequenter necligitur. *Ánglus, Ánglia'*, Anglus, Anglicus, anglicanus: *Franczia, Franczia'*, Gallus, gallicus, gallicanus: *Magjar*, Hungarus, hungaricus. Porro, *házi*, domesticus; *mëzei*, campestris; *kerti*, hortensis; *vizi*, aquaticus; *égi, mënnyei*, coelestis; *Isteni*, diuinus; *angjali*, angelicus; *lëlki*, spiritualis; *embëri*, humanus; *világi*, mundanus. Adde ab *aduerbiis temporis* petita: *mikori*, quuius tem-

temporis (id)? *ákori*, eius temporis, *mindënkori*, omnis temporis. *Hánjszori?* *batszori*, *tizszëri*, *sokszori*. Quot uicium? sex, decem, multarum. *Tëgnapi*, hesternus; *mái*, *mai*, hodiernus: *bo'napi* (excluso *d*; olim enim dictum *gbæddnapi*, *baddnapi*, *bodnapi*, a *gbædda*, *cras*: perperam dicitur *bolnapi*), uulgo *bónapi*, crastinus; *huszánapi*, uiginti dierum: *mindënnapi*, quotidianus: *bolnapi*, uulgo *bónapi*, menstruus; olim *belnapi*, ab *belal*, *bilal*, luna. Pro *belál*, dicitur hodie *bold*, uulgo *bód*. *D*, quod literis *l* et *n*, ex more nostri Sermonis, amicissimum est, propter euphoniam adscitum.

Illud *i* Asiaticis est *suffixum*, sev *pronomen possessiuum 3æ* personae: at frequenter aequiuocum. ex. c. *Atesi*, «') ignis eius, (nobis, *tüze*, quibusdam *tüzi*): item ß') quod ignis est (ab igne, in igne), *igneum*: nobis *tüzi*.

3. Adiectiua *qualitatis* in *as*, *ás*, *os*, *ós*, *ús*, *es*, *ës*, *és*, *ős*, *űs*. Respondent latinis in *osus* et anglicis in *ous*. Peti possunt a plerisque nominibus *primitiuis*; tum a *deriuatis* substantiuis, nº. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 21. A *béke*, pax; (quod in 4*to* solum casv usurpatur hodie) fit *békés*, uulgo alias *békës*, pacificus. Hinc *békësség*, pax: hinc autem *békësségës*. Petuntur etiam a quibusdam *Verbis*, uel potius *Participiis* praeteritis: *jártas*, *költes*, *nyertes*. Porro ab ipsa *radice permultorum Verborum*: tum etiam a quibusdam *participiis*. Si Adiectiuis *colorem* et *saporem* notantibus adiiciatur terminatio *s* uel *es*, aut *ës*; significatio *diminuetur*: ea que per latinum *sub-*, aut *hic et illic*, exponenda. *Feketés*, subniger; hic et illic niger; *vërëses*, subruber; hic et illic ruber: *kékës*, subcaeruleus: *édëses* subdulcis: *keserűs*, alias *kesernyés*, amarulentus: *sósas*, subsalsus. Fiunt etiam a numeris

*cardi-*

*cardinalibus*: ut: *ëdjes, hármas, tizes, százas, ezëres.* Item ab aduerbiis *numerandi.* ut: *ëdjszëres, kétszëres, háromszoros, tizszëres.*

4. Desinentia in *ag, eg,* caet. Ita saepe terminantur *adiectiua,* quae *loci,* aut *temporis,* aut uero *tempestatis,* ac similium, ex. gr. *aetatis* et *status,* aut eorum, quae his distinguendis inseruire possunt, aliquam notionem inuoluere uidentur. *Hézag, üreg* (*cauus,* distinguendum ab *üres,* uacuus); *meleg, hideg; rideg* (alias *hüdeg, rüdeg*) *öreg.* Ad imitationem horum, etiam *bazug, beteg.* etc.

5. Adiectiua Verbalia in *ëkony, ékëny.* ut: *fázékony, feledékëny, kérkëdékëny, félékëny.*

6. Verbalia in *vánj, vénj,* item *ován, evénj, ován, ëvén.* ut: *ragadvánj* (ragadván); *fösvénj*; *gyujtoványj* (gyujtován) szökevénj.

7. Verbalia in *ász, ész, asz, osz, esz, ësz.* ut: *merész* (mêrész) ravasz: *gonosz,* nequam; proprie *facinorosus*; item, *factiosus*, qui machinatur. olim *kunosz*; a uerbo *kun,* fac.

8. Verbalia in *evész.* ut: *gyülevész.*

9. Desinentia in *ló, lő.* quae respondent Asiaticorum Adiectiuis in *lu, lü.* ut: *basonló, ëgyenlő.*

10. Verbalia et nominalia in *ú, ű.* ut: *ászú. szomorú, keserű, künyű* (*künnyű*) *facilis,* leuis: proprie, *mëg-cselekëdlhető,* a persico *kun, kün,* fac.

11. Adiectiua a *participiis praesentibus* Verborum actiuorum et neutrorum petita. ut: *vigyázó,*

12. Adiectiua a *participiis futuris* petita: *balandó, mulandó,* állando; *jövendő,* romlandó, veszendő.

13. Adiectiua in *ható, hető,* petita a Verborum *potentialium participiis.* quorum etsi quaedam, ad uim uocis *actionem* significent; ipsa tamen adiectiua *passionis* sunt sortita notionem. *Látható,* uisibi-

sibilis; *hibető*: *még-engeztelhető*, qui leniri, placari, potest: *még-ésmérhető*; *még-magyarázható*. Adiectiua haec imitantur significationem participiorum neutrorum atque neutro-passiuorum. v. c. *fáradható*, *látszható*, *tetszhető*; *hathato*, alias *hathatós*. Huc refer, *mindenható*.

14. Adiectiua, quae sunt *priuatiua* ac *negatiua* nominum in *ás, ós, és*, caet. eaque α') desinunt in *lan*, *len*, addito *t*, quod ex adfini *s* mutatum. *Tudatlan*, *irgalmatlan*; *kietlen*, *kegyëtlen* (këgyetlen). *Len*, *lan* petitum ab Arabum particula *len* (*non*).

β') Adde adiectiua in *len*, *lan*, a substantiuis deriuata. ut. *ësméretlen*,

γ') Adde alia, in *telen*, *talan*, itidem ex substantiuis orta, adiecto *t* citra ullius literae mutationem. ut: *istentelen*, *szëmtelen*; *számtalan*; *képtelen*; *haszontalan*: *hirtelen*, *szërtelen*. Duo postrema pro aduerbiis etiam usurpari possunt.

δ') Adde aliorum adiectiuorum *negatiua* in *telen*, *talan*, adiecto *t* sine mutatione. *bóldogtalan*, *tisztátalan*.

ε') Adde *negatiua* quorumdam adiectiuorum n°. 9. *hasonlatlan*.

ς') Adde *negatiua* quorumdam n°. 11. *vigyázatlan*.

z') Adde *negatiua* quorumdam n°. 13. *Látbatatlan*, *még-engeztelhetetlen*. Obserua: *Hibetetlen* et *actiue* et *passiue* adcipi.

η') Adde *negatiua participiorum*, quae a *praeteritis* uerborum *actiuorum* et *neutrorum* formantur: uti ea infra uidebimus. *Szokattlan*, proprie *szokottlan*; *hallattlan* (hallottlan); *látattlan* (látottlan); *hivattlan*; *tudattlan* (tudottlan); idque distinguendum a *tudatlan*, negatiuo nimirum adiectiui *tudós*. *Tudattlan* dolog előttem: *tudatlan* vadjok benne. *Tudattlan*

*lan* vadj, ignotus es : *tudatlan* vadj, ignarus, etc. es. *Értettlen*, qui non ualet aut poteſt intelligere.

* Daturus rationem deriuationis Adiectiuorum in *etlen*, *atlan*, ab adiectiuis in *es*, caet. item aliorum in *telen*, *talan*, ab ipſis ſubſtantiuis ortorum, adducam exempla quaedam. Ab adiectiuis *ſzëmës*, *ſzámos*, *kezes*, *képes*, fiunt priuatiua ac negatiua, *ſzëmetlen*, *ſzámotlan*, *kezetlen*, *képetlen* : aſt *ſzëmtelen*, *ſzámtalan*, *képtelen*, a ſubſtantiuis, *ſzëm*, *ſzám*, *kép*. *α'* *Szëmës*, ſignificat *oculis praeditum* : *ſzëmetlen*, eius priuatiuum, *β'*. *Szëmës*, uigilantem; *ſzëmetlen*, dormiturientem. *γ'*. *Szëmës*, circumſpectum; *prouidum*; prudentem: *ſzëmetlen*, contrarium, *δ'*. *Szëmës*, oculos *pulcros* habentem : *ſzëmetlen*, contrarium. *ε'*. *Szëmës*, oculos *fortes*, ualidos habentem : *ſzëmetlen*, contrarium. *ϛ'*. *Szëmës* oculos *uiuidos* habentem: *ſzëmetlen*, contrarium. *ζ'*. *Szëmës*, oculos *acutos*, penetrantes, habentem : *ſzëmetlen*. contrarium. *η'*. *Szëmës*, eum etiam ſignificat, qui *oculis ſigna* dat, uel adlicit : *ſzëmetlen*, ſine uſv. *θ'*. *Szëmës*, qui oculis *faſcinat*: *ſzëmetlen*, extra uſum. *ι'*. *Szëmës*, quod oculorum uſum magnum ac *uigilantiam* requirit. ex. c. Nagyon *ſzëmës játék*. (*ſzëmetlen*, ualet). *ια'*. *Szëmës*, metaphorice; *ſzëmës gabona-fej* (*fő*), ſpica granis plena. (*Szëmetlen*, ualet). *ιβ'*. Quoniam oculi ſunt praecipui *uerecundiae* ac *inuerecundiae* indices; hinc *ſzëmtelen inuerecundum* notat. *Szëmës* extra uſum; quamtum ſcio.

*Számos*. *α'*. Numeroſus, i. e. magno numero. *Számtalan*, a) innumerus. b) quuius numerus iniri nequit. *β'*. *Számos*, de multitudine , quuius numerus initus eſt : *ſzámotlan* contrarium. *γ'*. *Számos*, de indiuiduo, quod ſub numerum cadit, ſev in numeratis eſt; aliis dici poſſet *ſzámozott*. *Számotlan*, contrarium. *δ'*. *Számotlan* dolog, i. e. ſzámba sëm këll vënni. Res, quuius nulla habenda ratio. *ε'*. *Számotlan*, pro, *ſzám-vetés - nélkűl - való*. ex. c. Még ſzámotlanok vadjunk : nondum iniuimns rationem. *ϛ'*. *Számotlan*, fere idem, i. e. *Szám-adás nélkűl - való*. Számotlan vadjok : nondum reddidi rationem accepti et expenſi.

*Kezes*. *α'*. Manv praeditus : *kezetlen* ualet. *β'*. *Kezes*, manv magna, craſſa, praeditus : *kezetlen* itidem ualet. *γ'*. *Kezes*, manv robuſta, etc. praeditus : Nëm *kezes*, magis in uſv, quam *kezetlen*- *Nëm-igen-kezes* embër. *δ'*. *Kezes*, (idem, quod Turcis *boſzſzú kezű*, longae manus, uel potius *longa-*

 *rum*

*rum manuum) furax* Quibusdam etiam Hungaris de *furace* usurpatur, *boſzſzû keze van, nagyon boſzſzi keze van. Kezetlen* non ualet: dicitur *nëm kezes.*

*Képes,* α'. *nagy képû*, nagy ábrázatû. *Képtelen* ualet. β'. *Szép képû*, ſzép formájú. *Képtelen*, formátlan. γ'. *Képes: Mëg-tartja a maga ſzínét* és formá át. *Képtelen*: el-hagyja a ſzínét, cset. δ'. *Képes*: épen embërnek-va'ó kép vadjon rajta. *Képtelen*: nëm emberi képe vad on. Nincsen-is rajta az embëri kép. ε'. *Képes*: mind az *embëri. képet*, mind a *ma a formáját*, sőt a *ſzínét*-is mëg-tartja mind ennyi *nyavalyában. Képtelen*: ſëm ſzíne, ſëm formá a: már az *embëri kép ſincsen* rajta. ς'. *Képes.* Képes dolog: uero ſimile; quuius imaginem, ideam habeo; quam comcipio poſſibilem. *Képtelen*; *képtelenſég*: nëm látom módját ζ'. *Képes*: conſiſtere uidetur cum *Lege Diuina. Képtelen*: uidetur eſſe *inpium*, inlicitum, *peccatum*. η'. *Képes* dolog: comgruere uidetur cum *iure naturae*, cum legibus *boneſti* ac *decori*, *iuſti* et aequi. *Képtelen* dolog: id mihi uidetur *iniuſtum*, ac *iniquum*, *minus boneſtum* minus que decorum. θ'. *Képes* dolog: id mihi uidetur *ſubordinatum* eſſe *iuribus patriis* atque Mandatis Regiis. *Képtelen* dolog: *non* eſt. *permiſſum*, uti mihi uidetur.

Aliqua horum plane ſunt obſoleta, quaedam uero antiquata. Sed cultiores multum ſibi, plus ipſi Linguae atque Nationi, plurimum uero peregrinis, nobile noſtrum Idioma tamdem admiraturis, conſulent omnino; ſi haec, et alia omnia, quae inaudita hodie ſunt, propter eorum *elegantiam*, atque *ſignificantiam* in uſum reuocauerint, atque ita reconciliauerint.

15. Adiectiua *localia*, et quamcumque demum *occupationem* ſignificantia, deſinunt in *beli*, *béli*. ut: *bázbeli*, *bázbéli*, *udvarbeli*, *udvarbéli*, *utſzabeli*, (*béli*); *belybéli*; *mënybéli*; *pokolbéli*; *rëndbéli*; *idöbéli*. Videntur ea, interiecta poſtpoſitione *be* (*in*), petita eſſe a Subſtantiuorum *localium*, Turcis aliis que Aſiaticis uſitatorum, terminatione *lik*; finali *k*, ob aliquam euphoniam, ad modum Auſtriacorum neclegto. Solent hi proferre *i á*, pro *ich auch*.

16. Ad-

16. Adiectiua *causae*, *materiae*, *efecti*, *scopi* ac *finis*; item *circumstantiarum loci* (in loco, de loco, ad locum) atque *temporis* (a quo, ad quod), caet. Eaque composita ex *nominibus*, aut *uerbis*, aut uero *aduerbiis* et *participio auxiliari*, sev substantiuo, *való* (aliquando, et *lévö*), *exsistens*. ex. c. *Aranyból-való*; *Doktornak-való*, Prókátornak-való; *Bécsböl-való*; Bécsbe-való; *ùtól-fogva-való*, őrőktől-fogva-való, őrőké-való; *mindënütt-jelën-való*: ideig-való: *sëmmire-való*, hijába-való; jóra-való: mëg-ënni-való; *irni-való*: *hamarságal-való*, sietsêgel-való: *tudva-lévő*; *ben-lévő*.

Bene interea distinguendum inter compositum *Doktornak-való*, et comstructum *Doktornak való*: nimirum, sine copula, *való* est participium. Namque *Doktornak való* est loquendi modus inuoluens rem aliquam, quae *Medico* uel *conueniat* uel *expediat*. *Doktornak-való* autem dicit *aptum Medicum*, aut *uirum aptum pro Medico* Sic *Bécsböl-való*, *Bécsböl való*, diferunt inter se. Illud notat *hominem* aut *rem*, uel *morem* ac *ritum Vienna* oriundum: hoc uero *hominem*, etc. ab *eo*, qui *Vienna ortus* est, *oriundum* interpretatur. Sic *Bécsbe-való* discernendum a *Bécsbe való*. Priori significatur *incola Viennae*, quamuis non sit, aut nesciatur esse, inde oriundus: significatur porro *res*, *mos*, ac *ritus*, *Viennensis*. Posteriori autem exprimitur homo, qui ratione *indolis*, *morum*, *ritus*, *muniorum*, ac *generis uitae*, caeterorum, potis esset, aut uellet, aut certe deberet esse *Viennensis*: item *consuetudo*, *uitae* que *ratio*, caet. quae *Viennensem* refert, denotatur.

17. Adiectiua composita ex participiis *tùdó*, *álló*, *járó*, aliis que sev participiis siue adiectiuis. v. gr. *Mindën-tùdó*: *Isten-félő*, *Isten-szerető*, timens, amans DEI. Sed nomen, quod priorem compositionis partem comstituit, manet inuariatum: idque significantius, quam in *casu quarto*. Namque *Isten-félő*, *Isten-szerető*, notionem habitus atque *com-*

*ſtans officium* inuoluit. At *Iſtent félő*, *Iſtent ſzerető*, actionem aliquando, *aliquoties iteratam*, aliquando uero *ſinplicem* denotat.

18. Alia, compoſita ex duobus adiectiuis, aliis que. ut: *Vak-merő*, alias *merő-vak*, temerarius: ſed illud uſitatius hodie. *Merő vak* (ſine copula) plane *coecus*, deſtitutus uſv oculorum. *Merő-vak* autem eſt, qui *nequit* aut *non uult* adhibere *mentis oculos*; quibus perſpiciendae eſſent *rationes*, quae eum ad amplectendum, quod *bonum*, honeſtum, licitum, uel *utile* eſt, aut ad auerſandum id, quod minus tale eſt, determinarent. Haec et ſimilia longo filo pertexemus in ipſo *Opere*.

19. Aduerbia quaedam nominaſcunt: *bamar embër*, *bamar dolog*.

*B.* Sequuntur *Subſtantiua*; eaque partem *Verbalia*, partem *Nominalia*.

1. Verbalia in *ás*, *és*, ſignificant *actionem relatiuam* ad agentem. Vti *Perſae* ac *Turcae* formant Nomen Verbale *actionis*, addendo *s* aut *is* ipſi *Radici*, ſev *Imperatiuo*: ſic *Hungari* deriuant adiiciendo *ás* aut *és* quuilibet *Radici*, ſev 3*æ perſonae ſingulari praeſentis Indicatiui*. ex. c. *Irás*, ſcriptio; *látás*, uiſio; *hallás*, auditio; *mosdás*, lotio; *ülés*, ſeſſio; *épités*, aedificatio. Aliquando ſignificant *actionem abſtractam*, ſev *paſſiuam*. ut: *Irás*, ſcriptura, ſcriptum: *látás*, uiſio rei; res uiſa: *ülés*, ſeſſionis locus: *épités*, aedificatio rei. Abundius in ipſo *campo*.

Fiunt etiam a Verbis *potentialibus*, et quidem ſignificantiſſima. a) *Irbatás*, poteſtas, potentia, uel modus ſcribendi. b) *Iratbatás*, potentia, uel *poteſtas eficiendi*, ut quis (quid) ſcribat. c) *Irattatbatás*, poteſtas, uel *modus curandi*, ut *quis iubeat tertium* quempiam ſcribere (quid). * Porro, *iratás*; iuſſio, ut quis

quis fcribat. *Irattatás*; actus *curandi*, ut quis *iubeat tertium* fcribere (quid). Hac ratione a *Passiuis* quoque fiunt Nomina eiusdem terminationis : et quidem, *Iratás*, ab *iratik* (*fcribitur*), quod eft pasfiuum finplicis *ír* (fcribit), formatum pari modo atque actiuum *iratás* ab (hiphil) *irat*: item *irattatás* fit ab *irattatik* (quod eft paffiuum τȣ *irat*) eadem lege, atque *irattatas* a fecundo hiphil, *irattat.*

2. Nomina in *at*, *et*, pleraque funt Verbalia: *bánat indúlat, akarat, falat, áldozat; tekintet, kerület, késziület, épület*. Significant a) *actionem abstractam* fev *paffiuam*, ad imitationem ebraicorum et arabicorum nominum in — *ath*, *eth*; *at*, *et*. b) Aliquando etiam inftrumentum ac *medium actionis abstractae*. v. c. *kenet*. c) Quaedam aliquando fignificant *actionem relatiuam* ad agentem. ut: *tekintet*. Sunt pauca nominalia. ex. c. *fzózat* (*uerbum*, *uox*) pro antiquo *fzóz* (uerbum); quod Afiaticis hodiedum in ufv.

3. Nominalia in *fág*, *fég*, fignificant *abstractum* aliquuius *concreti*: notionem adeo *ftatus* et *conditionis* rerum inuoluunt. Quae quidem terminatio procul omni dubio mutata eft ab arabico *fan* (*n* in g mutato, uel ad modum τȣ *Saghir-Nun* prolato); quod *ftatum*, *conditionem*, *rationem* ac *modum* interpretatur.

Deriuatur autem a) ab *Adiectiuis primitiuis* fere plerisque; tum, a *deriuatis*, quae n°. 3, 4, 5, 6, 7, 9, 10, 12, 13, 14, 16, 17, recenfui. b) A Subftantiuis. ex. gr. *ISTENSÉG*, DEITAS; (*Iftenifég*, Diuinitas, diftinctum) : *embërfég*, (alias) *embërifég*, humanitas : *Királyfág*, regia dignitas ; regnum: *Püfpökfég*, epifcopatus: *Kúnfág*, populus ac regio *Chunorum*, Cumanorum : *Jáfzság*, populus ac regio Iazygum, fev Philiftaeorum : *Hor-*

*vátſág*, *Rátzſág*, *Szászság*, *Oláhság*; Croatae, Raſciani (Thraces), Saxones, Vlachi. c) A uerbis: *múlatság*, *ſietség*, *ſegítség*. d) Ab Aduerbiis: *Felség*, Superioritas; Maieſtas. His adde ea, quae ingerunt *a* ante *ság*, *ség*. ex. c. *ſokaſág*, multitudo: idque quodam modo diſtinguendum a *ſokſág*, multitudo. *Gyorsaſág*, *nyerseſég*.

4. Nominum iu *ág*, *ag*, *eg*, item *gy*; alia nominalia, alia uerbalia. Eorum alia ſuperſunt ab antiqua terminatione *gu*, *gü*, uocali reiecta: alia uero, formata a perſico *gjab* (*locus*, *tempus*), *temporis* ac *loci*, aut eorum, quae his diſtinguendis inſeruire uidentur, aliquam notionem inuoluunt. *Virág*, flos; *világ* (*villág*) notat a) *lucem*; b) lucem *uniuerſam*, quui mundus hic expoſitus eſt; c) *mundum ipſum*; d) quidquid *lucem praebet*, ut; *candela*, *fax*, *taeda*, caet. Sic *csillag*, *fëlleg*. Porro *ágy*, pro antiquo *álgy*, ſomni ſiue *dormitionis locus*; lectus: *tárgy*, locus collimantium ſcopo expoſitus etc. meta: *téjgy*, *töjgy*, hodie *tölgy*, uulgo *tögy*, lactis locus; uber: *ſzügy*, cordis locus; armus.

5. Verbalia in *am*, *om*, *em*, *öm*, comueniunt cum Arabum aliorum que Orientalium, poſt eos, etiam Turcarum, nominibus incremento *m* auctis, iisque *locum*, *tempus*, uel *ſtatum*, aut *inſtrumentum* ac *medium* ſignificantibus. *Alam*, porcorum (caet.) locus dormiendi: *álom*, ſomnus; proprie *tempus* ac *ſtatus dormiendi*: *járom*; alias *iga*, quod ab latino *iugum*. Adde *érdem*, *öröm*, caet. Alius praeterea *indolis* nomina, quae uel *abstracta* ſunt, uel uero *actionem* denotant, comueniunt cum Arabum nominibus in *am* terminatis.

6. Verbalia a) in *lm*; uulgo, propter euphoniam, *lom*, *lëm*; *alom*, *elëm*: *nyugalm*, nyugalom; *irgalm*, irgalom; *këgyelm*, këgyelëm; *értelm*, értelëm;

lëm; *sérelm*, sérelëm. b) In *odalm*, *edelm*, uulgo *odalom*, *adalom*, *edelëm*. ut; *nyugodalm*, nyugodalom; *Fejedelm*, Fejedelëm; *fegëdelëm*; fokadalom. Sic *fájdalom*, *véjdelëm*, víjdelëm, uulgo *védelëm*; a *fájitalom*, *vijitelëm* (víjtelëm), *t* in adfine *d* conuerso. Oriuntur a Verbis (formae hiphil) *fájit*, *vijit* (víjt) uulgo *vet*; id est, pugnantis partes tuetur, luctanti adest, eum *defendit* ab aduersario. Primitiua radix *vij*, *vi* (alias *viv* cum *v* euphonico) *pugnat*, luctatur. *Fájit* (*dolet*), quuidam plebi adhuc in usv. Haec, una cum aliis, longe late que persequemur suo tempore: si, D. V. uixerimus.

7. Verbalia in *al*, *el*; ultima Radicali *sz*, attico organo, in *t* mutata: *ital*, *étel*, *bitel*, *vétel*; ab *isz*, *ësz*, *bisz*, *vësz*.

8. Verbalia in *odal*, *adal*, *edel*. ut: vîodal, vîadal, *vijadal*, *eledel*. Obseruandum haec nomina proprie non a primitiuis ac sinplicibus *vij* (*vi*), *él*; sed a deriuatis *vijódik*, *élődik*, uerbis nimirum formae *hithpahel*, oriri: ideoque *eledel*, plus esse, quam *étel*.

9. Verbalia in *ál*, *él*, *el*: halál, kőtêl (*kötel*), fëdêl. (*fëdel*).

10. Alia uerbalia in *álj* (ál), *élj* (él): *akadálj* (akadál), *veszélj* (veszél). Et nominalia: *homály*, ab obsoleto *hom*: *szëmély*. Adiectio *ál*, *ály*, *él*, *ély*, comgruit cum arabico *hál*, (*status*).

11. Verbalia in *mánj*, *ménj*; *ománj*, *eménj*. v. c. *találmánj*, takarmánj, keresménj: *tudománj*, tartománj, *költeménj*, adománj, ragadománj, *veteménj*. Quae quidem coincidunt cum Latinorum *amen*, *men*.

Sciendum est nomina haec, praesertim ea, quae literam *l* et *m* admittunt, etsi *usv* non omnia,

proprie tamen *passiui*, uel certe *reciproci*, notionem aliquam inuoluere.

12. a) Verbalia in *ék*, item b) nominalia in *k*, *ak*, *ok*, *ek*, *ëk*, *ék*. *Akadék*, maradék, ſzakadék; *kerék* (*kerek*, ab obſol. *ker*); *vezeték* (ab hiphil *vezet*); *játék*, ab obſol. *ját*. Inde uenit uerbum formae *hithpahel*, *játzik*, *játſzik*: uti uidebimus infra. Nimirum; uti *bëſz*, *bëz*, *bëd*; *këſz*, *këz*, *këd*, petitum a characteriſtica הת *heth*, *hith*: ita *ſz* comgruit cum poſteriore litera ת *th*. Nominalia ſunt: *mellyék* (mellék); *ſalak*, ablak; *telek*; *homok*, olim *khomok*, ab aſiatico *kum*, ſabulum. Item, *homlok*; *dërëk*, uulgo, derêk; *farok*, uulgo *fark*, idque antiquum; *ſarok*, *ſark*. Bene uero nota, *ſarok*, uſurpatum pro *angulo*, et *ſark*, pro *calce* pedis; in inflexione quidem non ſemper diſtingui; discerni tamen in deriuatis. quippe *ſarkas*, *ſarkal*, petuntur a poſteriori: at *ſarkos*, *ſarkol*, ab utroque; uſitatius tamen a priori. Obſerua porro, tam nominalium quam uerbalium terminationem *k* eamdem eſſe cum antiquorum *ku*, *kü*; uocali modo reiecta.

13. Verbalia in *dék*: *ſzándék*, ajándék. Quuidam plebi: *ſzándok*, ajándok.

14. Verbalia et nominalia in *lék*; item uerbalia in *alék*, *elék*. ut: moslék, *aprólék*, *esőlék*: *tartalék*, ázalék; *töltelék*, főzelék.

15. Verbalia in *ár*, *ér*. a) *Agentis*: eaque Aſiaticis adhuc in uſu: reſpondent Latinorum participiis in *ns*. ut: *búvár*, *csiſzár*; *vezér*. Vltimum, nobis iam ſubſtantiuatum, ſignificat *eum*, qui *praecedit*, *praeit*, *uiam monſtrat*, *dirigit*, i. e. *ducem uiae*: ab obſol. uerbo *vez*; a quo oritur hiphil *vezet* (*ducit*). Sed *kádár* latinum eſt, ſcire licet, *cadarius*. *Kalmár* (olim *Karmár*, *Kardmer*), item *pintér*, germanica ſunt; a *kramer*, *binder*: *kulcsár* uero ſlauo-

slauonicum, a *klucsár*. b) *Instrumenti*. ut: *zdvár*; töltsér.

16. Pauca uerbalia a) in *gyártó*, alias, *jártó*. ut: *kerék-gyártó*, fazêk-gyártó, szij-gyártó; *szij-jártó*, *süveg-jártó*. b) In *csér*. ex. c. *gërëncsér* (gëlëncsér) *figulus*. Supra obseruatum, literam *kef* Turcarum quibusdam *gyef*, aliis *kjef*, aliis *tyef*, aliis uero *csef* pronunciari: ita se habet, in uaria dialecto, Persarum *gyár*, *kjár*, *tyár*, *tyér*, *csér* (faciens, factor). Praesens illis tempus, *gyared* (facit). Inde Hungaris olim in usv fuit *gyárt* (facit): atque inde hodiernum participium (iam nominascens) *gyártó*. Nomina *Actorum*, *artificum*, et *uenditorum*, expressuri Persae, componunt ea ex participio, *kjár*, *kjér*.

17. Nominalia in *zia* (alias *dia*), item *s*, *ás*, *as*, *ós*, *os*, *us*, partem, antiquae, partem uero, recentioris originis: quibus *professores* aliquuius *artis*, atque *munia* quaedam *obeuntes*, significamus. *Persae*, praecipue uero *Turcae*, nomina eorum, qui *officiis* et *rebus gerendis* praefecti sunt, item *Actorum*, in primis *mechanicorum*, atque *uenditorum*, exprimunt uocabulis in *gysi* (*tsi*, *dji*, *dzi*) desinentibus. ex. c. *csizmedzi*, confector cothurnorum: Hungaris, *csizmadia*, *csizmazia*. *Kapugy'si*, *kapigy'si* (a *kapu*, *kapy*) custos portae, ianuae: Hungaris, *kapus*.

a) Sunt alia, proprie quidem *adiectiua*, sed, ex usv, *substantiuorum* potestate pollentia. *Kocsis*, auriga; *bajós*, nauta, nauis dominus: *tizedës*, decurio; *Százados*, Centurio; *Harminczados*, Tricesimarum, uectigalium, teloniorum Exactor: *fazëkas*, figulus, ollarius; *asztalos*, mensarius; *lakatos*, faber ferarius; *könyves*, alias *könyv-árós*, bibliopola. Sic alia, *kapás*, *kaszás*, *trombitás*, *mu'sikás*. *Süvegës*, *nyerges*, pilei, ephippii, comfector. Distinguenda

 sunt

ſunt ab adiectiuis *süvegës*, *nyerges*: *süvegës embër*, homo tectus pileo, uel, tecto capite: *nyerges ló*, equus ephippio inſtructus, item, ad equitandum aptus.

b) Sunt et alia, ſed alius indolis, nomina *ſubſtantiuata*: eaque partem res *animatas*, partem uero *inanimatas*, denotantia. *Hatalmas*, qui *imperioſa auctoritate* poteſt et ſolet uti. *Kezes*, qui manv ſtipulatur: obſes, uas, praes. Diſtinguendum ab adiectiuo *kezes*. *Bérës*, mercenarius: adiunctus opilionis, ſeruus bubulci. *In*, a graeco *ἶν*, proprie ſignificat *neruum*: ſignificat nobis etiam *crus*. A priori fit adiectiuum *inas*, *α*) *neruo praeditus*; *β*) *neruoſus*: a poſteriori uero adiectiuum ſubſtantiuatum *inas*, *α*) *pedisſequus*; *β*) *tiro* opificis et mercatoris. *Forintos*, numus ſolidus *florenum* ualens. *Máriás*, ab imagine B. V. *Mariae* dictus, olim 15 numos crucigeros, hodie uero $\frac{17}{60}$ floreni, pendens. *Húſzas*, *tizes*, *betes*; alii numi a numero 20, 10, 7, nominati. *Ötös*; cumulus quinque mergitum frumenti. Porro, *ſzilvás*, prunetum; *almás*, locus pomifer, malorum ferax: *fenjős*, uulgo *fenjves*, pinetum; *tölgyes*, ilicetum; *cserës*; quercetum; *ſzilos*, *ſzilas*, ulmetum; *füzes*, ſalicetum; *nádas*, arundinetum. *Város*, urbs *arce* inſignis; ciuitas; oppidum.

18. Nominalia et pauca uerbalia in *áz*, *éz*: quorum terminatio comgruit cum eadem illa Turcarum *dzi*: ſed *z*, ut plurimum, molliter profertur uti *ſz*, atque pariter etiam ſcribitur. Solemus illis uocabulis eos, qui *animalibus*, ſev uolucribus ſiue quadrupedibus, uel *capiendis*, uel *cuſtodiendis*, aliis que *rebus quacumque ratione curandis*, uaoaut, ſignificare. *Vadáſz*, uenator; *baláſz*, piſcator; *madaráſz*, auceps, caet. *jubáſz*, opilio; *lováſz*, agaſo,

ſo, equiſo: *kertéſz*, hortulanus; *révéſz*, portitor. *Vijtéz*, uulgo *vitéz*, miles, proprie, *propugnator*, defenſor, a *vijt*, *vít*, uulgo *vét*, defendit.

19. Verbalia et nominalia in *asz*, *osz*, *esz*. ut: *válasz*, *támasz*, *eresz*. Quod Sect. I. ad lit. *D.* monui, hic iterum monitum uolo. Diſtinguendum eſſe inter *ereſzt* et *erezt*: de quo uberius in *Lexico Etymologico*. Item *támaſzt*, *támoſzt*, discernendum a *támazt*. Illud, a *támasz* deriuatum, ſignificat; (rem aliquam *animatam*, aut *inanimatam*) *erigere*, erectam *fulcro* aliquo *ſtabilire*. Hoc uero, a uerbo *támad* ortum, dicit; *reſuscitare*, ſev eficere, ut id, quod prius, uel *olim*, *uiuum fuit*, a corruptione ac *morte reſurgat*.

20. Verbalia in *ád*, *ód*, *ad*, *ed*, *éd*. Qualia ſunt: *ſegéd*, adiutor; diaconus; *cseléd* (a primit. *csel*) *familia* domeſtica, proprie operaria; *beſzéd*, ab obſol. *besz*. De quibus uberius in *Lexico Etymologico*.

21. Nomina *α*) quae finale *v* adoptant; uel euphoniae gratia adſciſcunt: *nyelv*, lingua (organum deglutiendi); *örv*; *redv*; *ijv*, ív; *ſzüv*, *müv*; uſitatius, *ſziv*, *miv*. *β*) His ſimilia ſunt nomina in *ú*, et *ü*. ut ſunt, *ſarú*; *tanú*; *bélü*; *gyanú*, opinio, *ſubſpicio*, ab arabico *zann*, opinio.

22. Verbalia in *ánj*, *énj*; *ván*, *vén*, *vánj*, *vénj*; *avánj*, *ovánj*, *evénj*. Qualia ſunt: *kötényj*, praecinctorium; *tanitván* (*nj*), diſcipulus. Sic *maradványj*; óltoványj, kelevényj, jövevényj. Adde nominalia *posványj*, *köszvényj*.

23. Fiunt pauca etiam ad modum *nunnationis* arabicae. ex. c. *Aſzſzon*, uulgo, *aſzſzonj*, femina, ab hebraeo אשה *aſzſze*, *aſzſzo*, (uulgo, *iſzſza*, et *eſzſza*) : *törvényj*, *törvén*, lex, ab hebr. *tóra*, *thőre*, lex.

24. No-

24. Nomina *patria*, siue *familiaria* atque *gentilia*, ex adiectiuis in *i*, substantiuata. Exempli gratia (ut apud peregrinos notis NOMINIBVS utar): *Esztërbázi*, *Bottyáni*, *Nádasdi* (Vid. *A.* 2.) ab *Esztërbáza*, *Bottyán*, *Nádasd*. Id, quod aliae nationes exprimunt per *von*; *van*; *de*; *of*; caet. Hungari cum *i* adfixo significant. Sed *Pálfi* (Paulides), non a *Pálfa* (inde est *Pálfai*). Est enim simile his; *Istvánfi*, *Mátéfi*, *Gjör'fi* (*Gjörgjfi*; *Pétërfi*; *Filius Stephani. Matthaei*, *Georgii*, *Petri*: Petrides; Anglis, *Peterson*; Danis, *Petersen*; Hybernis, *Fitz-Péter*; Illyriis, Russis, caeteris; *Petrovics*.

Nominibus *pagorum*, *locorum*, ac *praediorum*, caet. compositis ex *báz*, domus (quui respondet Teutonum *baus*, *beim*, et Anglo-Saxonum *bám*), adfigitur, emphaseos ergo, pronomen possessiuum *a*, (*o*): *Mihálj-báza* (Mihálj-házo), *János-báza*, scire licet, relate ad *primum*, aut *praecipuum* ac *nobiliorem possessorem* ac fundatorem. In deriuatis illud suffixum reiicitur.

25. Nomina porro α) *Actorum*, petita a *participiis actiuis* ac *neutris*, et aliis, in *ó*, ő. Qualia sunt: *Tanitó*, doctor, instructor; *Olvasó*, lector; *éneklő*, cantor; *író*, scriba; *hallgató*, auditor; *arató*, messor; *szántó*, arator; *szántó-vető*, agricola; *kereskëdő*, negotiator; *biró*, proprie *possessor*, hodie frequentius, *iudex*; at uerbum ipsum usurpatur pro *possidere*: *Uralkodó*, Dominator: *Jól-tévő*, Benefactor. β) Etiam de rebus inanimatis: *eső* (perperam, *essö*) pluuia; *adó*, quod dandum est, tributum; *mondó*, quod dicendum quis habet.

22. Componuntur aliquando nomina α) in *officio constitutorum*, ex participio *tartó*, tenens (Persis, *dar*, tenens; *darid*, *dared*, tenuit, tenet, -bit: hinc hungaricum *tart*, tenet). *Helytartó*, Locumtenens; *Tiszt-*

*Tiszt-tartó*, Praefectus; *Kincs-tartó*, Custos thesauri; *Szám-tartó*, Actuarius oeconomicus, rationarius. *β*) Etiam de rebus inanimatis: *gyërtya-tartó*, candelabrum; *só-tartó*, salinum: alia.

27. Nomina *α*) *Opificum* composita ex participiis *csináló*, *verő*, *kötő*, et aliis, quae notionem opificii inuoluunt. *Süveg-csináló*, *kalap-csináló*, *papiros-csináló*: *Sinór-verő*, *kötél-verő*: *könyv-kötő*, *gomb-kötő*, *háló-kötő*. *β*) Ex eodem participio, *kötő*, fiunt quarumdam etiam rerum uocabula. *kötő*, ligaculum, fascia; *fő-kötő*; *elő-kötő*; *térd-kötő*.

28. Deinde, ex participiis *járó*, *álló*, caeteris, oriuntur uocabula hominum in *officiis constitutorum*; et similium ex plerisque participiis. ut: *ajtón-álló*, ianitor; *Őr-álló*, uigil, custos; *Elöl-járó*, Antistes. *Előljáró* plane distinguendum ab *előttem-*, *előttünk-járó*. Illud significantius, quam hoc. Obseruandum ergo, ante nos uitiose scriptum fuisse, *Előttem-járóimat*, pro *Előljáróimat*. Duplex error. Scribendum potius fuisset, *az előttem járókat*.

29. Denique *Diminutiua* sunt, quae significationem *diminuunt* quidem, sed non semper: saepe *intendunt* potius ex usv frequenti. Quibus blande satis ac admodum eleganter utuntur nostrates in certis Hungariae prouinciis: eo que blandius ac elegantius uidentur uti, quod uix unum, ac ullum, aliquando proferant uocabulum, quod, ipsis recepta, *diminutiuorum terminatione* non adficerent.

*Triplex* autem est, Hungaris *diminuendi* ratio, imo *quadruplex*. a) Ad imitationem *Persarum* addunt *ke*, *ka*. Illi adiiciunt unum *k*; id que cum adscititio sono uocali proferunt. ut: *atesek*, igniculus; *püserek*, filiolus. Hungari uero *kënyërke*; *legényke*, adolescentulus; *ljánka*, *lëánjka*, puella. b) Adiiciunt *cske*, *cska*; alias, *ëcske*, *ocska*; alias uero, *ecske*,

*cske, acska.* ex. c. *órácska*, horula, *idöcske*, tempufculum; *bázocska*, domuncula, *kertëcske*, hortulus; *halacska*, pifciculus, *könyvecske*, libellus. Comueniunt cum diminutiua Scytharum atque Turcarum terminatione *gyük, gyzsuk, csuk, gyzsik, csik, gyek, gyzsek, csek.* Complura funt nobis nomina tam adiectiua, quam fubftantiua, quae utramque pati poffunt adfectionem. ex. c. *kicsinke, kicsinyëcske*, paruulus, *falatka, falatocska*, offula, botulus. Videtur uero pofterior plus, quam prior, diminuere: *perparuulus; offula parua.*

c) Siculi Daco-Transfiluani infuper delectantur adfectione *csa, cse.* ut: *gyermëkcse; lábcsa*, pediculus, i. e. paruus pes. Scythae pariter atque Turcae adiectiua fua diminuturi, interdum *cse*, interdum uero *gy'sik*, uel *gy'sek*, adiiciunt.

d) In paucis exemplis fupereft terminatio diminutiua (*det*) *ded* : *gyermëkded, kicsinded, kisded.* Plebs quaedam, fi ratio habeatur antiquitatis, rectius pronunciat *gyed*, ab antiquo *gyek.* Quod hodiedum in ufv eft Turcis aliis que Afiaticis adiectiua fua diminuturis: uti plane nunc obcupabam.

Amant quidam diminuere *patris* atque *matris* uocabula, *apa, atja; anja*: mimirum *apóka, atjóka; anjóka.* Prioribus proprie *patrem adoptiuum;* poftremo uero *matrem adoptiuam*, fignificant. Quodam modò comuenit illa *diminuendi* comfuetudo cum ufv Othomannicorum et quorumdam Scytharum: *babalyk*, babalük, *pater adoptiuus*, uitricus; *analük, mater adfcititia*, nouerca.

SE-

# SECTIO IV.

## *De Numeris.*

### §. I.

Numeros *Cardinales* hunc in modum putamus. 1. *Edj*, aliis *ëd;* aliis *ëgj*. 2. *Kettö*, in ſtructura, *két'*, ex. c. kêt' könyvet. Compoſitum uidetur e ſcythico *iki* (duo) et perſico *dü* (duo), '*kettö*. 3. *Három*, olim *bárm*: háromnak, háromé, háròmá, hármat. 4. *Négy*. 5. *Öt*. 6. *Hat*. 7. *Hét* a perſico *beſt*. 8. *Nyoltz*. Comiicio compoſitum atque comtractum eſſe ex chaldaico, שני אל, et ſcythico *tëz*, q. *duo ad*, ſev, *usque ad decem*. Ita *Sneltez*, '*no:t'z*. 9. *Këlentz*, *kilentz*. comtractum ex perſico *iek*, et chaldaico אחר, atque *tez*. Ita *jekel:ëz*, unum ad decem, '*këlet'z*. 10. *Tëz*, *tiz*. 11. *Tëzën ëdj*, *tizën-ëdj*, unum ſuper decem. 12. *Tizënkettö*, in ſtructura, *tizën-két'*. 13. *Tizën-három*. 14. *Tizën-négy*. 15. *Tizën öt*. 16. *Tizën-hat*. 17. *Tizënhét*. 18. *Tizën-nyóltz*. 19. *Tizën kilentz*. 20. *Húſz*, olim '*butz*, antea *ibut'z*, *ikbut'z*; comtractum ex *iki-tëz*, bis decem. 21. *Húſzon-ëdj*, unum ſuper uiginti. (Vide Sect. X.) 22. *Húſzon-kettö*, húſzonkêt'. &c. 30. *Harmintz*, olim, et hodie multis, *barmit'z*: comtractum ex *barm tëz*, ter decem. 31. *Harmintz ëdj*. caet. 40. *Negyven*. *V* illud euphonicum eſt, ſimul que diacriticum tam in hac decade, quam in ſequentibus, ut hac eae ratione diſtingui poſſint ab *aduerbiis unitatum*, *négyen*, *öten*, *hatan*, *beten*, *nyoltzan*, *kilentzen*. Dubium tamen non eſt, quin olim dictum fuerit *negyen*, *negyæn*, et *negyon*, ac

ac *negyan*, compositum ex *négy* et antiquo *on* (*decem*): itaque *negy-on*, *negy-æn*, quater decem. 41. *Negy-ven-ëdj*, caet. 50. *Ötven*, pari ratione, *quinquies decem*, olim, *öt-on*, *öt-æn*. 51. *Ötven-ëdj*. caet. 60. *Hatvan*, sexies decem, olim *hat-on*, *hat-an*. 61. *Hat-van-ëdj*. caet. 70. *Hetven*, olim *het-on*, *het-an*, *het-æn*. 71. Hetven-ëdj. caet. 80. *Nyoltzvan*, olim *nyoltz-on*, *nyoltz-an*. Turcis, *sekſen*, compositum ex *ſekiz-on*, i. e. octies decem. 81. Nyoltz-van-ëdj. caet. 90. *Kilentzven*, olim, *kilentz-on*, *kilentz-æn*. Turcis, *dokſan*, compositum ex *dokuz-on*, i. e. 9⋈10, nouies decem. 91. Kilentzven-ëdj. caet. 100. *Száz*, a Persis mutuatum, olim *ſzád*, uel, arabico atque anglico ore, *ſzædh*. 101. *Száz-ëdj*. 110. *Száz-tiz*. 111. Száz-tizën-ëdj. 120. *Száz-húſz*. 123. Száz-húſzon-három. 130. *Száz-harmintz*. 135. Száz-harmintz-öt. 140. *Száz-negyven*. 149. Száz-negyven-kilentz. 180. *Száz-nyoltz-van*. 360. *Három-ſzáz hatvan*. 666. *Hat-ſzáz hat-van-hat*. 1000. *Ezër*, a persico *bezar*, mille. 1114. *Ezër ſzáz-tizën-négy*, alias, ezër ëdj-ſzáz-tizën-négy. 1770. *Ezër hét-ſzáz-hetven*, Persis, *bezár heſt ſzæd heſtad*. *Millenarius* quoque ad modum centenariorum putatur.

*Tizet mëg* (*még*) *ëdjet*, pro 11; *tizet mëg ötöt*, pro 15, etc. dicitur aliquando, at inproprie. Proprie enim usurpari poteſt de rebus *diuerſo tempore* aut a *diuerſa perſona* praeſtitis.

*Definituri* numeros, *primum* adficimus terminatione ordinalium; reliquis autem pronomen 3*æ perſonae ſingul.* ſubfigimus: *ëdjik*, unum eorum; *ketteje*, duo eorum; *hárma*, *tize*, *ſzáza*, *ezëre*: eos que, pro re nata, inflectimus. *Relaturi* uero eosdem ad antecedentia reddimus, *ëdjike*, *az ëdjike*, *a ketteje*, *az hárma*, *a tize*. 2. *Hármának*, ëdjiknek, ëdjikének.

3. *Hár-*

3. *Hármát*, ëdjiké, ëdjikéé. 4. *Hármát*, ëdjiket, ëdjikét.

§. II. *Ordinales* uero Numeros hoc pacto ordinamus. 1*mus*, *elsö*: ortum a fcythico *elkifi*, *ilkifi*, q. *elksö*, primus eorum. 2*dus*, *másod*, *második*, a *más*, alius. 3*tius*, *harmad*, harmad*ik*. 4*tus*, *nëgyed*, nëgyed*ik*. 5*tus*, *ötöd*, ötöd*ik*. 6*tus*, hatod,-*ik*. 7*mus*, heted,-*ik*. 8*uus*, nyóltzad,-*ik*. 9*nus*, kilentzed,-*ik*. 10*mus*, tized,-*ik*. 11*mus*, tizën-ëdjed,-*ik*. 12*mus*, tizën-kettöd,-*ik*. 13*tius*, tizën-harmad,-*ik*. 14*tus*, tizën-nëgyed,-*ik*. 15*tus*, tizën-ötöd,-*ik*. 16*tus*, tizën-hatod,-*ik*. 17*mus*, tizën-heted,-*ik*. 18*uus*, tizën-nyóltzad,-*ik*. 19*nus*, tizën-kilentzed,-*ik*. 20*mus*, húfzad,-*ik*. 21*mus*, húfzon-ëdjed,-*ik*. 22*dus*, húfzon-kettöd,-*ik*. 30*mus*, harmintzad,-*ik*. 60*mus*, hatvanod,-*ik*. 100*mus*, fzázad,-*ik*. 101*mus*, *fzáz-elsö*, 102*dus*, *fzáz-másod*, -*ik*. quuidam plebi, *fzáz-kettödik*. 110*mus*, fzáz-tized,-*ik*. 111*mus*, fzáz-tizën-ëdjed,-*ik*. 132*dus*, fzáz-harmintz-kettöd,-*ik*. 150*mus*, fzáz-ötvenëd,-*ik*. 200*mus*, két-fzázad,-*ik*. 689*nus*, hat-fzáz nyóltzvan-kilentzed,-*ik*. 1000*mus*, ezëred,-*ik*. 1001*mus*, *ezër-elsö*. 1002*dus*, *ezër-másod*, -*ik*. 1010*mus*, ezër-tized,-*ik*. 1050*mus*, ezër-ötvenëd,-*ik*. 1100*mus*, ezër fzázad,-*ik*. 1342*dus*, *ezër három-fzáz-negyven-kettöd*, -*ik*. 1769*nus*, *ezër hét-fzáz hatvan-kilentzed*, -*ik*.

Ordinalibus in *ëd*, *od*, *ad*, *ed*, *ëdik*, *odik*, *adik*, *edik*, refpondet interrogatiuum *hányad?* *hányadik*, *hányodik*, quotus? et comprehenfiuum, *mindënik*, *unusquisque*, pofterioribus. Originem eorumdem, quorum *illi* funt *indefiniti*, hi uero *definitiui*, iam expofuimus Sect. I. §. XVIII. 2. *. Reftat, ut moneamus, hos eosdem *definitiuos* fore fimul *relatiuos*, fi *fuffixo*, fiue *pronomine poffeffiuo* 3*æ perfonae fingul.* adficiantur. *Elsöje*, *az elsöje*, primus eorum. *Másodika*,

*odika*, *a másodika*, *harmadika*, *hetedike*, etc. secundus, tertius, septimus eorum, caet. Quibusdam, *másodiktya*, *harmadiktya*, *hetediktye*. caet.

Possunt iidem per *omnes* in unitatis numero *casus* uariari. 1. *Hetedike*. 2. *Hetedikénel*, septimi, et septimo eorum. 3. *Hetedikebé*, hodie, *hetedikéé*,–*éjé*, ad septimum, uel septimo, et septimi eorum: item *hetedikébé*, hodie *hetedikévé*, (in) septimum eorum. 4. *Hetedikét*, septimum eorum. Porro 3'*ius* Casus, *Hetedikéé*, i. e. *quod septimi eorum est*, poterit, quum nobis uidebitur, ad eamdem rationem, in *utroque numero* inflecti. 2. *Hetedikéének*, *eius*, et *ei*, quod septimi eorum est. 3. *Hetedikéébé*, hodie *hetedikééjé*, ad id, ei, et eius, quod septimi eorum est: item, *hetedikéévé*, (in) id, quod septimi eorum est. 4. *Hetedikéét*, id, quod septimi eorum est. Plur. 1. *Hetedikééi*, *ea*, quae septimi eorum sunt. 2. *Hetedikééinek*, *eorum*, et *iis*, quae septimi eorum sunt. 3. *Hetedikééibé*, hodie, *hetedikééijé*, *ad ea*, *iis*, et *eorum*, quae septimi eorum sunt: item. *hetedikééivé*, (in) *ea*, quae septimi eorum sunt. 4. *Hetedikééit*, ea, quae septimi eorum sunt. Relatiuis illis numeris respondet interrogatiuum *bányadika*? *quotus eorum*? et comprehensiuum *mindënike*, *unusquisque eorum*. utrumque pariter potest per omnes casus in unitatis numero uariari.

§. III. *Distributiuos* numeros fingunt Hungari *duplicando cardinalium unitates*; etiam supra decadas, non nisi easdem *replicando*. ut: *ëdj-ëdj*, singuli; *kettö-kettö*, bini; in structura *két'-két'*; *három-három*, terni; *tíz-tíz*, deni; *tizën-ëdj-ëdj*, undeni; *tizën-kettö-kettö*, *tizën-két'-két*, duodeni. Sic, *ötven-kettö-kettö*, *ötven-két -két'*. *Száz-húsz-húsz*. *Három száz hatvan-öt-öt*, trecenteni sexageni quini. Possunt iidem, si oportet, in unitatis numero uariari. ut:

*ëdjet-*

*ëdjet-ëdjet; kettőt-kettőt; hármat-hármat; háromnak-háromnak; tizën-ëdjet-ëdjet; ötvennek-ötvennek; ſzáz-búſzé-búſzé; hárem-ſzáz hatvan-ötnek-ötnek.*

Reddunt etiam per ſinplicia *unitatum pluralia*, ſubfixa iis poſtpoſitione *ként*, ſecundum. ut: *ëdjek-ként*, ſinguli; *kettőkként*, bini; *kilentzekként*, noueni; *hetvenëkként*, ſeptuageni, *ſzáz-búſzon-hármakként*, centeni uiceni terni; *ezërekként*, milleni. caet. Vulgo profertur, *ëdjenként*, etc. Vide Sect. I. §. XXI.

Solent uero *diſtributiuos* priores *definire*, adiiciendo, *primo* quidem terminationem ordinalium; *reliquis* autem *pronomen poſſeſſiuum 3æ perſonae ſingularis*. ut: *ëdjik-ëdjik*, ſinguli eorum, *ëdjiknek-ëdjiknek*, ſingulis eorum, caet. *Ketteje-ketteje*, *hárma-hárma*, bini, terni eorum, caet. *Relaturi* autem eos ad antecedentia reddunt: *ëdjike-ëdjike*, et, *az ëdjike-ëdjike*; *ëdjikét-ëdjikét*, ſingulos eorum: *ketteje-ketteje*, *a ketteje-ketteje*, bini eorum: *a hármának-hármának*: *a ſzázát-ſzázát*, centenos eorum.

Fuerat Atauorum Atauis alius quoque numeros *relatiuo-diſtributiuos* reddendi modus, isque longe elegantiſſimus: nimirum per *pluralia* ſinplicium *cardinalium*, *pronomine 3æ perſonæ ſingularis* adfectorum. ut: *a kettei*, *a hármai*, *a négyei*, *az ötei*, *a ſzázai*, *az ezërei*: *a ketteinek*, a hármainak, az öteinek, a ſzázainak: *a ketteié*, *a hármaié*: *a kette it*, *a hármait*, *az ezëreit*; binos, ternos, millenos eorum. Operae pretium, ut reconcilietur.

Sciendum poſſe etiam compoſita *ëdj-féle*, unius generis, *két-féle*, duum generum, caet. *ëdj-forma*, unius formae, unius modi, *diſtributiuorum* ad rationem *duplicari* atque uſurpari. *Edj-ëdj-fele*, *ket-két-féle*, *ſzáz-ſzáz-féle*.

# SECTIO V.

## *De Pronomine.*

### §. I.

Vti Nómina, fic et *Pronomina unius* funt *generis* omnia. *Eorum Perfonalia* funt : 1) *En*, *én*, (*ego*); ab hebr. אני. Comuenit fane cum Syrorum, Arabum, caeterorum, *ena*, *ene*. *Nekëm*, *nékëm*; mei, et, mihi: *ënnekëm*, *ennekëm*, *énnékëm*, plus quam *nékëm*; mei (non alius), mihi (haud alii). *Engëm*, *éngëm* (*me*). Vulgus perperam adiicit apoftrophum; *engëm'*. Adfixa tamen *quarti cafus nota* fit fignificantius: *engëmet*, *éngëmet*, me (non alium). *Mënk*, et (uulgo) *mink*, *nos*. Armenis, *menk*. Quuidam plebi noftrae, *mik*. Cultioribus placet *mi*. *Nekünk*, *nékünk*, noftrum, et, nobis: *minekünk*, *minékünk*, noftrum (non aliorum); nobis (haud aliis). *Mënket*, uulgo *minket*, nos.

2. *Të* (*tu*): ab hebr. אתה *ate*, uulgo *atta*: Arabibus *ente*. *Nekëd*, *nékëd*, tui, et, tibi: *tënekëd*, *tënékëd*, tui (non alius); tibi (haud alii). *Tégëd*, uulgo *tégëd*, te; perperam fcribitur *tégëd'*: adfigfa tamen charadteriftica *et*, amplius denotat; *tégëdet*, te (non alium). *Tëk*, uulgo *tik*, uos. Comuenit cum Armenorum *tuk*, *tük*. Cultioribus tamen apud nos uiris uidetur *ti*. *Nektëk*, *néktëk*, ueftrum; et, uobis: *tinektëk*, *tinéktek*, ueftrum (non aliorum); uobis (haud aliis). *Titëket*, plebi, *tikteket*, uos.

3. *O*, uulgo alias *ú*, ille. Perfis *o*, *u*. Scythis *ó*, *ő*, *ű*. Comuenit cum Ebraeorum, Syrorum, Arabum, caeterorum, *bu*. *büve*. *Neki*, *néki*, illius; et, illi; *őneki*, *őneki*, *űnéki*, fignificantius; *őnékie*,

*őnékie*, multo ſignificantius; *illjus* (haud alius); illi (non alii); uulgo *űnékie*. *Obé*, hodie *őve*, ad illum; *illi*; illius. Plebi quuidam *űvé*. *őt*, illum. Cum duplici *quarti caſus* characteriſtica, *őtet*, uulgo *űtet*, *illum*, proprie *haud alium*; ſed uulgus ſemper adhibet. In uanum fit, quod mentiantur apoſtrophum, *őt'*. *ők*, uulgo *űk*, illi. *Nekik*, *nékik*, illorum; et, illis: *őnekik*, *őnékik*, *űnekik*, *űnékik*; *őnékiek*, *űnékiek*, illorum (non aliorum); illis (haud aliis). *őké*, *űké* fere obſoletum, *ad illos*; *illis*; *illorum*. Pro hoc uſitatius eſt adiectiuum *övék*, *űvék*, ſuus, illorum. *őket*, *űket*, illos.

4. Perſonalia *reciproca* ſunt, *Magam*; *magad*; *maga*; ego ipſe (ſolus); tu ipſe; ille ipſe: *magunk*, nos ipſi; *magatok*, uos ipſi; *magok*, illi ipſi. *Magamnak*, mei ipſius; mihi ipſi: *magadnak*; *magának*. *Magamé*; *magàmá*: *magadé*; *magàdá*: *magáé*; *magává*. *Magamat*, caet. Per omnes caſus regulariter uariantur. *Én magam*, *tě magad*, *ő maga*, *ű maga*, caet. ſignificantius: i. e. ego ipſe (non alius) caet. Tertius caſus, *magamé*, *a magamé*, *id*, *quod mei ipſius eſt*; ſic *magadé*, id, quod tui ipſius eſt; *magáé*, id, quod ſui ipſius eſt; *magunké*, id, quod noſtri ipſorum eſt; *magatoké*, id, quod ueſtri ipſorum eſt; *magoké*, *id*, *quod ſui* ipſorum eſt, poteſt per omnes utriusque numeri caſus inflecti. Item horum *tertii caſus*, *Magaméé*, *id*, *quod pertinet ad id*, quod mei ipſius eſt; *magadéé*; *magáéjé*; *magunkéé*; *magatokéé*; *magokéé*, pari plane ratione uariari. *Magamééjé*, *ad id*, *ei*, et *eius*, quod pertinet ad id, quod mei ipſius eſt; *magaméévá*. *Magaméi*, *ea*, *quae* pertinent ad id, quod mei ipſius eſt: *magaméiijé*, ad illa, illis, et illorum, quae pertinent ad id, quod mei ipſius eſt: *magaméiivá* (in) ea, quae, caet. *Magáéjéé*,

ad illud, illi, et, illius, quod pertinet ad id, quod fui ipfius eft.

*Transfiluani* reciprocum *magam*, caet. *adiectiue* quoque ufurpant, *a magam házomban*, *a magad házodban*, caet. Nos uero femper *fubftantiue*: adeoque comftruimus cum alio uocabulo, cev fubftantiuum cum fubftantiuo; *a magam házában*, *a magad házában*, *a magunk házában*, *a magatok házában*, *a maga házában*, *a magok házában*.

§. II. *Demonftratiua* funt *ez*, *e'*, hic: *a*, *az*, is: *emez*, *eme'*, *imez*, *ime'*, hicce: *ama*, *amaz*, ifte. *Ennek* (uulgo), mihi; *e'nek*: *ànak*: *eme'nek*, *ime'nek*: *amànak*, huius, eius, huiusce, iftius, et, huic, ei, huicce, ifti. *Ezé*; *azé*; *emezé*, *imezé*; *amazé*, ad hunc, huic, huius, etc. item *èzé*; *àzá*; *emèzé*, *imèzé*; *amàzá*, (in) hunc, etc. *Ezt*; *azt*; *emezt*, *imezt*; *amazt*, hunc, etc. Plebi, cum gemina *cafus quarti* nota, *eztët*; *aztot*; *emeztët*, *imeztët*; *amaztot*, *amaztat*: quae quidem finplicibus illis fignificantiora. *Ezëk*; *azok*; *emezëk*, *imezëk*; *amazok*, hi, etc. *Ezëknek*; *azoknak*; *emezëknek*, *imezëknek*; *amazoknak*, horum, et, his, etc. *Ezëké*; *azoké*, etc. *ad hos*, his, horum, etc. item *ezèké*, *azòká*, caet. *Ezëket*, *azokat*, caet. hos, caet.

§. III. *Relatiua* funt, *ugyan-az*, idem, idem ille: *ugyan-ez*, hic idem. Inflectuntur uti demonftratiua. Quem ad modum Othomannici, cum Scythis, omnia pronomine *ki* referunt: ita relatiuum *a ki* (*qui*) uulgo Hungarico, fecundum antiquitatem, tam de *perfonis*, quam de *rebus*, ufurpatur. At cultioribus, huius in primis feculi, uiris uifum fuit ad *perfonas* id *unice* referre, fi *corelatum antecedat*: relationem uero ad *res* alio *relatiuo*, *a mëllj*, exprimere. Poteft nihilo fecius id cum *perfonis* etiam comgruere, fi *corelato* fuo in eadem

enun-

enunciatione praemittatur. *A mëllj Prókátorra bizţam az ügyemet*, àról akarék tőled értekëzni. Si uero *definitiue* reddatur; poteſt aut praecedere aut ſequi ſuum corelatum. v. c. *A mëlljik Prókátorra* akarom, àra bizom: àra *a Prókátorra* bizom *a mëlljikre* akarom. Adde relatiuum *mi, a mi*, de rebus. *A minek; a mëlljnek; a kinek*; quuius, et quui: *a mëlljiknek*, quuius et quui (noſtrum, ueſtrum, uel, eorum). *A mié; a mël'jé; a kié*, ad quod, quui, quuius: *a mëlljiké. A mit; a mëlljet; a kit: a mëlljiket*, quem, etc. *A mik; a mëlljek; a kik. A miknek*, a mëlljeknek; *a kiknek. A miké; a mëlljeké; a kiké. A miket; a mëlljeket; a kiket.*

Porro, *ki-ki* (*quisque*, unusquisque, ſinguli). *Akarki, akárki*, quiscumque, quilibet. *Valaki*, aliquis; et, quicumque. *Valami*, aliquid, et, quodcumque. *Akármëllj*, quiscumque, quaecumque, quodcumque. *Valamëllj* aliquis, aliqua, aliquod. *Némëllj, ëdj valaki, ëdj némëllj*, quidam. *Akármëlljik; valamëlljik, némëlljik*, definitiue capiuntur; quiscumque, quodcumque eorum; aliquis, aliquod eorum; quidam, quoddam eorum. *Kinek-kinek*, quuiusque, uniusquuiusque, et uniquuique. *Akárkinek*, quuiuscumque, et quuicumque. *Valakinek*, aliquuius; quuiuscumque; et, aliquui, quuicumque. *Valaminek: akármëlljiknek: valamëlljiknek. Akárkié; valakié: valamié*, caet. *Kit-kit: valakit: valamit: akárkit*. Plur. *Akárkik*: valakik: valamik: akàrmëlljek; valamëlljek; *némëlljek*. caet.

2. *Interrogatiuum Perſonae* apud Turcas aliosque eſt *kim*: apud Perſas uero *ki*, quis? Ab his habent Hungari *ki* (quis?), perſonae pariter interrogatiuum. Habemus aliud quoque eiusdem uſus pronomen, at eo ſignificantius, *kicsoda*, plebi quuidam

dam *këcsoda*? quis, quisnam, qualisnam: compositum ex duobus persicis *ki* et *kjudam*, alias *tyudam*; *csudam*, quis, qualis, quidnam? *Interrogatiuum rei* nobis est *mi*, quuidam plebi *më*? idem cum Ebraeorum, Syrorum et Arabum מה, מא, *me*, *ma*, quid? Aliud interrogatiuum eo significantius, *mícsoda*, quidnam?

Interrogatiuum tam *personae* quam *rei definitae* est *mëllj*, qualis, quis, uter eorum. *Mëlljik*, uter, quis eorum? *Mëllj*, comtractum ex *mëlljen*, alias *milljen*; quibusdam *mëllj*, *mëllen*: quod, compositum ex *me* et *lein*, dicit, *quuius modi*, qualis? Huic respondet adiectiuum qualitatis *illen*, huiusmodi, et *àlan*, hodie *òlan*, eiusmodi, uulgo *illjén*, *ëlljen*, *olljan*.

Ab interrogatiuo *mícsoda* oritur adiectiuum *qualitatis* idque interrogatiuum, *mícsodás*, quuius formae, modi: a *mi* uero, *mi-nëmű*, *mi-némű*, quuius sortis, generis? Indidem oritur compositum *semmi* (uidere licet, *s nëm mi*, neque quid) *nobil.* Inde adiectiuum qualitatis *semmis*, nihili, fere nihil, quasi nihil. Ab interrogatiuo *ki* oritur *senki*, nullus, nemo, pro *semki*, compositum ex *s nëm ki*, *neque quis*.

§. IV. Pronomina *possessiua* sunt A) *Separabilia*: *Enëm*, *enim*, uulgo *enjim*, meus: *Téed* uulgo *tied*, *tiéd*, tuus: *Oé*, uulgo cum euphonico *v* dicitur *ővé*, *űvé*, eius; *Mëenk*, uulgo *mienk*, quibusdam *miénk*, noster; *Téetëk*, uulgo *tietëk*, quibusdam *tiétëk*, uester: *Oék*, uulgo *ővék*, uulgarius tamen *űvék*, illorum. *Enim*, olim *enëm*, compositum ex pronomine personali *en* (ego), et Persarum *suffixo*, siue inseparabili pronomine *m* (*em*), *meus*. Comuenit cum Scytharum atque Turcarum suffixo *m*. *Téed*, olim *téet*, compositum ex personali *té* atque Persarum suffixo *t* (*et*), *tuus*. Inseparabile hoc pronomen

nomen Perſis, Scythis, Mogoribus et Hungaris proprium. *Ové*, *űvé*, mutuatum a *tertio caſu* pronominis perſonalis *ő*, *ű*. *Mëenk* (uide Sect. I. §. XXI.) oritur a perſonali *mënk*. Id in ſinum recipit *ſuffixum* 3*æ* perſonae *e*, *ë* : quod cum Turcarum ſuffixo *i*, *e*, coincidit. *Tëetek*, oritur ab antiquo ſingulari *tëet*, adiecta communi pluralis numeri terminatione *ek*. *Ovék* fit a ſingulari *ővé*, numeri pluralis characteriſtica, nimirum *k*, adfigſa.

Solent ea regulariter *inflecti*, ſi abſoluta ſint a ſuis ſubſtantiuis; aut iisdem qualibet ratione poſtponantur. 2. *Enyimnek*, *az enyimnek*, mei, meo: *tiednek*, *a tiednek*, tui, tuo: *ővének*, *az ővének*, eius, et ei, quod illius. 3. *Enyimé*; *tiedé*; *ővébé*, hodie *ővéé*. 4. *Enyimet*; *tiedet*; *ővét*. Plur. 1. *Enyimek*, mei: *tiéid*, tui: *ővéi*. 2. *Enyimeknek*: *tiéidnek*: *ővéinek*. 3. *Enyimeké* : tiêidé: *ővéibé*, hodie ővéié. 4. *Enyimeket*: tiêidet: ővéit. 1. *Miénk*; *tiétëk*; *ővék*, noſter, ueſter, (qui) illorum (eſt). 2. *Miénknek*: tiêteknek: ővéknek. 3. *Miénké*: tiêtëké: ővéké: item, *miénké*; tiêtëké; ővëké. 4. *Miénket*: tiêteket: ővéket. Plur. *Miéink*, quuidam plebi, *miénkek*, noſtri: *tiéitëk*, ueſtri: *ővéik*, (qui) illorum (ſunt). 2. *Miéinknek*, quuidam plebi *mienkeknek*: *tiéitëknek*, *ővéiknek*. 3. *Miéinké*, quuidam plebi, *miénkéké*: tiêitëké: ővêiké. 4. *Miéinket*, q. pl. *miénkeket*: tiêiteket: ővêiket.

Addo his *poſſeſſiua*, quae nobis a laudatorum poſſeſſiuorum tertiis caſibus mutuari adſolent: quae quidem ſequuntur caſus poſſeſſiui *ővé*. 1 *Enyimé*; tiêdé; ővéé; *az enyimé*, a tiêdé, caet. *Enyimeké*; tiêidé; ővêié: *enyiméi*; *enyimekéi*: caet. *miénké*; tiêtëké; ővéké: *miéinké*; *tiéitëké*; *ővéiké*. *Id quod* pertinet ad eum, qui *meus*, *tuus*, *illius*, *noſter*, *ueſter*, *illorum*, eſt. *Ea*, *quae* pertinent ad eum, qui *meus*, *tuus*, caet. eſt. *Id*, *quod*

 per-

pertinet *ad eos*, qui *mei*, tui, caet. funt. *Ea*, *quae* pertinent ad *meos*, *tuos*, caet. *noſtros*, caet. 2. *Enjimének*, caet. eius, et, ei, quod pertinet ad *meum*, caet. 3. *Enjimée*, caet. ad id, ei, et eius, quod pertinet ad meum, caet.: *Enjimévé*, caet. 4. *Enjimét*, caet. Plur. 1. *Enjiméi*, caet. 2. *Enjiméinek*, caet. 3. *Enjiméié*, caet. *Enjiméivé*, caet. 4. Enjiméit, caet. Eadem ratione inflectas horum tertios caſus. 1. *Enjiméé*, *id*, *quod* refertur ad *id*, *quod* pertinet ad meum. Sic *tiedéé*, caet. 2. *Enjiméének*, caet. eius, et, ei, quod refertur ad id, quod pertinet ad meum: caet. Item, *enjiméévé*. caet. 4. *Enjiméét*, caet. Plur. 1. *Enjiméei*, caet. ea, quae referuntur ad id, quod pertinet ad meum; caet. 2. *Enjiméeinek*, caet. eorum, et iis, quae referuntur, caet. 3. *Enjiméeijé*, caet. ad ea, eis, et, eorum, quae referuntur ad id, quod pertinet ad meum, caet. Item, *enjiméeivé*, caet. 4. *Enjiméeit*, caet. Sic, 1. *Enjimekéé*, *Tiéidéé*, caet. 2. *Enjimekéének*, caet. 3. *Enjimekéeié*: item, *Enjimekéévé*, caet. 4. *Enjimekéét*, caet. Plur. 1. *Enjimekéé*, caet. ea, quae referuntur ad ea, quae pertinent ad meos; caet. 2. *Enjimekéeinek*; caet. 3. *Enjimekéeijé*, caet. item, *enjimekéeivé*; caet. 4. *Enjimekéeit*.

B) *Inſeparabilia* ſunt: 1) *m*, *om*, *am*, *ám*, *óm*; *ëm*, *em*, *ém*, *öm*, *őm*, meus: in plurali, *oim*, *aim*, *eim*, caet. mei. 2) *d*, *od*, *ad*, *ád*, *ód*; *ëd*, *ed*, *éd*, *öd*, *őd*, tuus: in plurali, *oid*, *aid*, *eid*, caet. tui, tuae, tua. 3. *o*, *a*, *jo*, *ja*; *i*, *ë*, *ö*, *e*, *je*, eius, ſuus: in plurali, *oi*, *ai*, *jai*, *ei*, *jei*, *i*, caet. eius, ſui, ſuae, ſua. 4) *onk*, *unk*, *ónk*, *ánk*; *énk*, *ënk*, *őnk*, *ünk*, noſter, noſtra, noſtrum: *oink*, *aink*; *eink*, *ink*, caet. noſtri, ae, a. 5). *otok*, *atok*, *ótok*, *átok*; *étëk*, *őtök*, *ëtëk*, ueſter, a, um: *oitok*, *aitok*, *áitok*; *éitëk*, *eitëk*, *őitek*, *itek*, ueſtri, ae, a. 6). *ok*, *jok*; *ëk*, *jek*, *ök*, *jök*, ſuus eo-

eorum: *oik*, *aik*, *jaik*; *jeik*, *ik*, ſui, ſuae, ſua, eorum.

Animaduerte, e *ſeparabilium* ea prognata eſſe *terminationibus*. Suffixum *o* (eius), mutuatum ab Hebraeis, uoces, quae maſculinis gaudent ſonis, adficit. Propter euphoniam abit in *a* frequentiſſime. Eamdem ob rationem adſciſcit etiam *j* poſt uocales, atque certas conſonas, quae dictionem terminant. Pronomen autem *e* (eius) comuenit cum Arabum ſuffixo 3*æ perſonae*, atque Turcarum *i*,*ë* (*y*). *Femineas* ſolet id comitari uocales. Omni fere plebi in *ö* comprimitur. Cultioribus uero aperitur in *e*, ut plurimum. Certis literis exigentibus, crebro literam *j* ſibi adſociat.

Si ſuffixo 3*æ* perſonae *o*, *a*; *e*, *ë*, *ö*, adiiciatur Perſarum ſuffixum 2*æ* perſonae *m*; orietur *om*, *am*; *em*, *ëm*, *öm*. *Ám* autem comtractum ex *aom*, *aam*: *óm*, ex *oom*, *oam*: *ém*, ex *eem*: *ö́m* uero ex *öem*. Si eidem ſuffixo 3*æ* perſonae adnectatur itidem Perſarum ſuffixum *t*; orietur antiquum *ot*, *at*; *et*, *ët*; *öt*. Illo *t* in adfine *d* comuerſo, ſortiemur pronomina *od*, *ad*; *ed*, *ëd*; *öd*.

Literae, quibus perſonale *mënk* terminatur, ſuffixis *o*, *a*; *e*, *ë*, *ö*, adiectae, priora mutabunt in *u*; poſteriora uero in *ü*. Dicimus enim hodie *unk*, *ünk*; ſi id, quod *plures poſſidemus*, ſignificare uolumus. Aſt, ubi dictiones, quae his pronominibus adficiendae ſunt, in uocalem *o*, et *a*, deſierint; ſuffixa *o*, *a*, cum finalibus iisdem, in *ó*, *á*, coaleſcent. Itaque orietur *ónk*, et *ánk*. Idem obſerua de reliquis. Antiquo ſingulari *ot*, *at*; *et*, *ët*, *öt*, adnexa characteriſtica plurali *ok*; *ëk*, *ök*; potiemur ſuffixo, quo *plures uos eiusdem rei poſſeſſores* compellare poſſimus; *otok*, *atok*; *etëk*, *ëtëk*, *ötök*. Numeri pluralis indicem *k* adiice ſuffixo *o*; *ë*, *ö*;

habe-

habebis pronomen, quo ualeas id, quod *pluribus*, in 3*a perſona*, *tribuendum* ſit, declarare. * Poteſt quidem *comſtructus* huiusmodi pluralis 3*æ* perſonae ut plurimum diſtingui a plurali *abſoluto*; ex. c. *csudák*, miracula, *csudájok*, miraculum eorum; *tudományok*, doctrinae, *tudományjok*, alias *tudományok*, doctrina eorum; *kezek*, manus, *kezëk*, manus eorum.: at ſaepe ambiguus eſt. v. c. *Apoſtolok*, Apoſtoli, et Apoſtolus eorum; *Iſtenëk*, Deus eorum, et Dii. Verum ſtructura declarabit.

Hungarus expoſiturus, ſi fors habeat *plura*, quam *unum*, quae *uni ſibi* iure uindicet, characteriſticam pluralis, *i*, quam ab Hebraeis, Chaldaeis et Syris mutuauerat, adiunget ſingulari *o*, *a*, *jó*, *ja*; *e*, *je*, *ë*, *ö*, ut *augeatur*: at compreſſum illud *ë*, *ö*, diductioribus labiis pronunciabit, ut *e*. Sciendum uero, adcedente hoc *i*, ſingularem *illam notam* frequenter abiici. *Baráti*, pro *barátai*, *barátjai*, *barátjoi*, amici eius; *magzati*, pro *magzatjai*; *bizonyſági*, pro *bizonyſágai*.; *vetéſi*, pro *vetései*; *épületi*, pro *épületjei*; *bëtüi*, pro *bëtüjei*. Auge hocce pronomen caeteris, quae laudabam, incrementis, ut, eo pacto, poſſis et reliqua, quae comgruunt, *adfixa*, ſev *ſuffixa*, ſortiri.

§. V. Scito demum, nomina, quae *pronominibus* his adficiuntur, ideoque notionem *poſſeſſionis* inuoluunt, poſſe per *omnes* in utroque numero *caſus inflecti*. En eorum, ſi uis, unum atque alterum exemplum. 1. *Házom* (*am*), domus mea. 2. *Házommak* (*amnak*), domus meae, domui meae, 3. *Házomé* (*amé*), ad domum meam, domui meae, *domus meae*: *házòmá* (*házàmá*) in domum meam. 4. *Házomat*, domum meam. Plur. 1. *Házoim* (*aim*) domus meae. 2 *Házoimnak* (*aimnak*), domorum mearum, domibus meis. 3. *Házoimé* (*aimé*), ad domos

mos meas, domibus meis, domorum mearum: item, *házaimá (aimá)* in domos meas, 4. *Hazaimat (aimat)*, domos meas. 1. *Házunk*, domus noſtra. 2. *Házunknak*, domus noſtrae; domui noſtrae. 3. *Házunké*, ad domum noſtram, domui noſtrae, *domus noſtrae*: *házunká*, (in) domum noſtram. 4. *Házunkat*, domum noſtram. Plur. 1. *Házoink (aink)*, domus noſtrae. 2. *Házoinknak (ainknak)*, domorum noſtrarum, domibus noſtris. 3. *Házoinke (ainké)*, ad domos noſtras, domibus noſtris, *domorum noſtrarum*: item *házoinká (ainká)* in domos noſtras. 4. *Házoinkat (ainkat)*, domos noſtras. Sic, *Házod (ad)*; *házotok (atok)*, eodem plane pacto inflectas. Obſerues interea, loco pronominis *o*, quamuis genuini, ſemper *a* proferri cultioribus.

1. *Házo, háza*, domus eius, ſua. 2. *Házának* (certae dialecto, *házanak*) domus ſuae, domui ſuae. 3. *Házábé*; hodie, *házáé*, *házájé*, ad domum ſuam, domui, et *domus ſuae*: item, *házábá*; hodie *házáá*, uſitatius *házává*, (in) domum ſuam. 4. *Házát*, domum ſuam. Certae dialecto: *házaé*; *házavá*, *házaat*. Pl. 1. *Házoi*, (*ai*), domus ſuae. 2. *Házoinak (ainak)*, domorum ſuarum, domibus ſuis. 3. *Házoibé*, hodie *házoié (aié)*, ad domos ſuas, domibus ſuis, *domorum ſuarum*: item, *házoibá*, hodie, *házoivá (aivá)* in domos ſuas. 4. *Házoit (ait)*, domos ſuas. 1. *Házok*, domus ſua, eorum. 2. *Házoknak*, domus, et, domui ſuae. 3. *Házoké*, ad domum, domui, et, *domus eorum*: item, *házoká*, (in) domum eorum. 4. *Házokat*, domum eorum. Pl. 1. *Házoik (aik)*, domus ſuae, eorum. 2. *Házoiknak (aiknak)*, domorum ſuarum, domibus ſuis. 3. *Házoiké*, *házaiké*, ad domos, domibus, *domorum* eorum: *házoiká (aiká)*, in domos eorum 4. *Házoikat (aikat)*, domos eorum.

Sic

Sic inflectas, *Hazám*, patria mea; *Hazád*; *Hazája (ájo)*: *hazánk*; *hazátok*; *hazájok*. caet. Certae dialecto, *hazaom*; *hazaod*; *hazao*; *hazaonk*; *hazaotok*; *hazaok*; caet.

Eadem ratione uariabis, *Kezem*; *kezed*; *keze*; *kezünk*; *kezetek*; *kezëk*: *kezeim*; *kezeid*; *kezei*: *kezeink*; *kezeitek*; *kezeik*. Porro tertios casus: *Házomé* (*ame*), *a házamé*, id, quod ad domum meam pertinet: *Házodé*, (*adé*): *Házáe* (*áje*): *házaimé*: *házaidé*: *házaié*: *házunké*: *házotoké* (*atoké*): *házoké*: *házoinké* (ainké): *házoitoké* (aitoké): *házoiké* (aiké). Item, *kezemé*, id quod manui meae conuenit, caet. *Kezeimé*, id quod manibus meis expedit, caet. *Kezedé*: kezeidé: *kezéé*: kezeié: *kezünké*: kezeinké: *kezetëké*: kezeitëké: *kezëké*: kezeiké. caet. Sic *Hazámé*, *Hazánké*, quod ad patriam meam pertinet; quod patriae nostrae est. caet. Sic, denique, horum omnium, atque similium, *tertios casus* uariabis. v. gr. *Hazáméé*; id, *quod* refertur ad id, quod ad patriam meam pertinet. 2. *Hazáméénak*. 3. *Hazáméějé*: *hazáméévá*. 4. *Hazáméét*. Plur. 1. *Hazáméči*; ea, *quae* referuntur ad id, quod ad patriam meam pertinet. 2. *Hazáméěinak*. 3. *Házáméěijé*: *hazáméěivá*, 4. *Hazáméěit*.

Vides itaque *inseparabilibus* istis *pronominibus* adfecta nomina, *házam*, *házad*, caet. significare *domus mea*, *domus tua*, caet. sic, *kezem*, manus mea, caet. significantius tamen fit, si, quando requiritur, praemittas *pronomina personalia*, sev *substantiua* (pro conceptv uulgi loquor) *én*, *të*, caet. *én házam*, *të házad*, *az én házam*, *a të házad*; *mi házunk*, *a mi házunk*, caet. *én kezem*, *az én kezem*, caet. q. Domus mea (non alius): Manus mea (haud alius): caet. Othomannici dicerent, ex more suo, *enim házom*, *enim kezem*, *tied házad*, *tied kezed*: etc.

etc. (*beniim evüm*, *beniim elüm*, *ſzenün evün*, *ſzenün elün*: caet.). Coincidit cum Daco-Transſiluanorum loquendi modo: *magam bázam*, *magam kezem*, *magad bázad*, *magad kezed.* caet.

Comcipe uero nobis *adiectiua* ſiue *poſſeſſiua* pronomina *enëm* (*enim*, enjim); *tëed* (tied); *öé* (övé); *mienk* (mëenk); *tietëk*; *öék* (övék), in binum ſecta eſſe atque hunc in modum ſeparata: *en--ëm*; *të--ed*; *ö--é* (*ü--é*); *mi--enk*; *ti--etëk*; *ö--ék* (*ü--ek*): comcipito porro *poſſeſſionis nomina* diuulſis iisdem partibus inſinuata. ex. c. *enkezem*; *tëkezed*; *ökezé*; *mikezenk*; *tikezetëk*; *ökezëk*: *enházem*; *teházed*; *óházé*; *miházenk*; *tiházetëk*; *óházék*. Comcipito deinde *tertii caſus adfectionem* ac notam *e* locum cedere ſuum *adfixo* ſev inſeparabili pronomini 3*æ* perſonae *e*, *o*, *a*. Comcipito denique *pronominum poſſeſſuorum* adfectiones *em*, *ed*, *e*, *enk*, *etëk*, *ëk*, ex more Dialecti noſtrae, in *uiriles* comuerti *ſonos*; quotiescumque *maſculinae uocalis*, quae in ipſo nomine *dominatur*, eos poſtulet inperium. Itaque, caeterorum, quae ſupra monuimus, habita ratione, proferto *enházom*, uel, uti uulgarius eſt, *énházam*; *tëházod* (*ad*); *óbázo* (*a*); *miházunk*; *tiházotok* (*atok*); *óházok*: *ókeze*. Imaginatur omnis forte noſtra natio, ea, quae praecurrunt, *ſubſtantiua* eſſe pronomina, idque circo ſeparatim amat eadem ſcribere; *én bázam*; *të bázad*; *ö báza*; *mi bázunk*; *ti bázotok*; *ö bázok*, caet. Diuulſionem equidem non disſuadeo: ſuaſor interim tamen eſſem et auctor, ut *copula*, quae nexum cum *adiectiuis* eorum adfectionibus argueret, adhibeatur: *én-bázam*, *të-bázad*, *ö-báza*, (*ö-bázo*), *mi-bázunk*, *ti-bázotok*, *ö-bázok*; *én-kezem*, *të-kezed*, *ö-keze*, *mi-kezünk*, *ti-kezetëk*, *ö-kezëk*.

SE-

# SECTIO VI.

## *De Verbo, et Modorum, ac Temporum Personarum que formatione ac indole.*

### §. I.

Quidquid ſtatuant *Graeci*, *Latini*, *Itali*, *Germani*, et reliqui *Europaei*; quidquid porro *Perſae* atque *Turcae* iudicent atque ponant pro *themate* Verborum ac *Verbalium* ſuorum, uiderint: at Linguarum ipſarum indoles *Imperatiuum* comſtituit pro eorum, quae *deriuari* poſſunt, *ſcaturigine*. *Hebraea* uero et *Chaldaea*, aliae ue Orientales, ponunt 3*am perſonam ſingularem temporis præteriti*: quod aliquando *præſens* quoque ſignificat. Et noſtra Dialectus, ad earum plane rationem, ſemper 3*am ſingularem præſentis* pro *prima omnium propaginum radice* adfectat.

Sciendum, anomala quaedam Verba huic aliquando *radici* ſyllabam *ën*, at alia ſyllabam *ik*, quaedam autem nunc *ën*, mox *ik*, adſciſcere. *Deponentia* uero, alia ue his ſimilia, quae *Paſſiuorum* ad rationem inflectuntur, ſemper in *ik* eamdem terminare. Prouenientes tamen a *trunco rami*, atque *germina*, quae ex iisdem *pullulant*, *adcrementum* illud retrudunt. *Paſſiuorum* terminatio *ik* eamdem ſubit uicem ratione *ſubolis*. Ex. c. *ë*ſzëm, *ë*tel, et *ë*vés, a radice *ësz*, *ë*szën, *ë*szik: *isz*unk, *i*tal, *i*vás, ab *isz*ik: *vë*szëk, *vë*vés, a *vësz*, *vë*szën: *a*lvás, *a*lam, *á*lom, ab *a*lſzik; *aluv*ás, *alusz*tok, ab *aluſz*ik: *munkálkod*ás, *vénbëd*és, *vigaztalód*ás, *vigaztaltat*ás, a *munkálkod*ik, *vénbëd*ik, *vigaztalód*ik, *vigaztaltat*ik: eo plane modo, atque *munkál*om, *munkál*ás, a *munkál*; *vénül*ök, *vénül*és a *vénül*; *vigaztal*om, *vigaztal*nám,

vigaz-

*vigaztalj*, *vigaztaló*, *vigaztalás*, a *vigaztal*; *nézëk*, *néztem*, *nézni*, *nézés*, a *néz*; *irék*, *irtál*, *irjon*, *irnának*, *irás*, ab *ir*.

§. II. Adde *Radici* 1) unam literam *j* uel *s*, uel *ſz*, uel *z*; ita formabis *2am perſonam ſingularem Imperatiui Neutrius*, *Neutro-actiui*, *Deponentis*, et *Actiui intransitiui*: quae, ſicut aliae omnes, utrique ſexui competit. ut: *ülj*, *irj*, *adj*, *áldj*; *nézz*; *keress*; *láss*; *vadászsz*; *ébrezsz*; *készits*, *tarts*: ab *ül*, ſedet, *ir*, ſcribit, *ad*, (*ád*) dat, *áld*, benedicit; *néz*, intuetur; *keres*, quaerit, *lát*, uidet; *vadasz*, uenatur, *ébrezt*, expergefacit; *készit*, parat, *tart*, tenet. Plebs quaedam addit interdum Imperatiuis *ál*, *él*, uti in Coniunctiuo Praeſenti.

*Radices*, quae in *at*, *át*, uel *et*, *ut*, *öt*, exeunt, ultimam ſuam *Radicalem* mutant in adfine *s* ante hocce, quod laudabam, incrementum. Verborum uero in *átt*, *lt*, *nt*, *rt*, et *it*, exeuntium Radicalis *t* ſeruatur quidem, at cum incremento *s* ſonat uti compoſitum *ts*, ad modum germanici *tſch*. Aſt eleganti organo praeditus quisque poteſt proferre *mútat-ſon*, *ért-ſën*, *ékësit-ſën*, *mútat-ſam*, *ért-ſem*, *ekësit-ſem*: uti *bagyjam*, *adjam*, diſtingui ſolet a uulgari *bagygyam*, *adgyam*. Deſinentes autem in *zt* (*szt*) radices ultimam *t* in adfine *ſz* comuertunt. Hinc deriuantur reliquae huius *Modi*, et *Coniunctiui Praeſentis* omnes *Perſonae*, tam transitiuae, quam intransitiuae; caeterae. Obſerua, *Coniunctiui Præſens* comgruere cum *Imperatiuo*. Obſeruandum etiam, anomala quaedam in *sz* ultimam Radicalem mutare in adfine *t*, hoc uero in *d*; ita demum adiicere *j*: ut; *bisz*, *tësz*, *lësz*, *vësz*; *bitj*, *bidj*, *tétj*, *tédj*, *létj*, *lédj*, *vétj*, *védj*. Vulgo ſcribitur *bidgy*, *bgy*, *tégy*, *légy*, *végy*. Ab *ësz*, *ëszik*, *iszik*, uſurpatur *ëdjél*, *idjál*, uulgo, *ëgyél*, *igyál*. Pleraque autem uerba li-

teram *j* adfcifcunt: ut funt definentia in *b*, *d*, *g*, *k*, *l*, *m*, *n*, *p*, *r*, *j*, *v*.

2. *Radici* α) adnecte *fz*, uel, ubi euphonia requirit, *asz*, aut *esz*; ut formetur *2da perfona fingularis præfentis Indicatiui* neutrius, neutro-actiui, deponentis et actiui intransitiui: *írfz*, *adfz*, *nézfz*, *látfz*, *ülfz*, *vadáfzfz*, *ballfz*, *ballafz*, *ébreztesz*, *értesz*, *tartasz*, *készítefz*, *mútatfz*, *keresfz*. Characteriftica haec procul omni dubio petita eft ab Hebraeorum *Adformante 2ae* perf. fing. praeteriti, ת, *th*, *fz*. Loco *fz*, etfi non omnes, ac femper, aliqui tamen aliquando, praefertim poft *fz*, *z*, et *s*, adhibent terminationem *ol*, *ël*. Quui Præteritum etiam item Subiunctiuus Modus, et ipfum Paffiuum, ubique refpondet: *olvasol* (olvasfz), *hozol* (hozfz), *vadáfzol* (vadáfzsz). Sic, *olvasál*, *írál*, *írtál*, *írnál*; *írattatol*, *írattatál*, *írattattál*, *írattasfál* *írattatnál*. caet.

β). Radici adiunge *ok*, *ëk*, ut potiaris *1ma* perf. fing. præfentis Indic. Neutrius, caet. *írok*, *nézëk*, *látok*, *ballok*, *ébreztëk*. Coincidit cum terminatione pronominis Coptici *anok* (*ego*): mutuatum uero eft ab Hebraeorum *ánokhi*. Hoc idem *anokhi*, quod fcribendum orthographice effet אנוכי, ueterum ebraicae linguae dialectorum alia protulit *anéi*, alia *anobhi*, alia uero *anokhi*; hinc et erroneum כ inrepfit. Id quod habes a me, in *Vetere fine Maforetharum punctis hebraifandi Via*, §. XV. demonftratum.

γ). Loco *ok*, *ëk*, adiice *unk*, *ünk*; idque petitum a pronomine *mënk*: ita fortieris *1am* eiusdem temporis pluralem. ut: *írunk*, *nézünk*. Comuenit cum Armenorum *1ma* plurali; *jartank*. Illud *un*, *ün*, aliis in temporibus *án*, *én*, coincidit cum Ebraeorum, Chaldaeorum, caeterorum, item Aethiopum, ac Aegyptiorum pronomine *1mæ* perf. plur.

*anenu*

*anenu, anu, benan, na, ánon.* Perſae dicunt interdum *majan.*

ζ) Loco *ünk, ünk,* adfige *tok, tëk,* aut, ubi euphonia poſtulat, *otok, ëtëk;* ſicce reſultabit 2*a* pluralis. ut: *írtok, néztëk ; ballotok, ſzólotok, ébreztëtëk.* Armeni *k* purum adfigunt. ut: *jartak.*

η) Pro *tok, tëk,* adiice *nak, nek,* aut, ubi haec disſona forent, *anak, enek;* ſic reſpondebit 3*a* pluralis. ut: *írnak, néznek, ſzólnak, ſzólanak; ébreztenek.* Armenis *jartan,* a radice *jarta,* ſcribe, et, ſcribit.

ϛ) Adde radici 1) *a,* uel *e*: naſcetur tibi 3*a ſing.* præteriti inperf. Indic. Neutrius, caet, *íra, néze.* Vide reliqua, ſi uis, in Coniugg. 2) Adiice *radici* et *reliquis perſonis* uerbum auxiliare *vala*: ita lucraberis aliud *Præter. Inperf.* et *Futuro-Præter.* Indicatiui. ut: *ír-vala,* caet. ſcribebat: ſcripturus erat.

§. IV. Adhibe radici ſyllabam *ott, ëtt;* aliquando literam *t* uel *tt;* interdum uero tam *tt,* quam *ott* uel *ëtt*: (Aſt *ott* ac *ëtt* in illo caſv non adeo uſitatum): ſic 1) ſortieris 3*am* ſing. *præter. perf. Indic.* Neutrius, caet. *látott, nézëtt* (*írott, írtt*) *írt.* Vide reliquas in Coniugg. Interea obſerues 3*am* pluralem eſſe duplicem, *írtak, néztek; írtanak, néztenek.* Characteriſtica *illa* Præteriti comuenit cum Othomannicorum 3*a* perſ. ſing. præter. *di;* quod poſt certas literas ſonat *ti.* Comuenit eo magis cum Perſarum *d,* et *t,* præteriti temporis. Anomala quaedam in *ſz,* ultimam hancce radicalem ſuam in adfine *t* comuertunt: *bitt, lëtt, tëtt, vëtt, ëtt, itt,* uulgo *ëvët, ivott;* pro *biſzt, lëſzt, tëſzt, vëſzt, ëſzt.* 2). Præterito Imperfecto priori, nimirum *íra, néze,* adde auxiliare *vala*; habebis 3*am* ſing. *præteriti plus quam perf.* íra-vala, *néze-vala.* 3) Præterito perf. *írt, nézëtt,* inperti auxiliare *vala*;

 nan-

nancifceris *tempus præter. plus quam perf.* 2*dum*, *illo* antiquius: *írt-vala*, *nézëtt-vala.* 4). Eidem præterito perf. fubiice auxiliare *vólt*, ut adipifcaris *præter. plus quam perf.* 3*tium* 2*do* antiquius : *írt-vólt*, *nézëtt-volt*, 5) *Tertio* huic adde auxiliare *vala*; ut lucreris 4*tum illo* longe antiquius; quamuis quadam tenus antiquatum. Operae pretium, ut redeat.

§. V. Radici adnecte fyllabam *en* uel *an*; ita formabitur antiquus Infinitiuus Verborum neutrorum et omnium intransitiuorum: qui omnibus temporibus comuenit; *érten*, *ballan.* is que coincidit cum Perfarum terminatione *en.* 1) Adhibe euphonicum *i*; ut gaudeas hodierno infinitiuo *érteni*, *ballani.* Si radix non *duabus confonis*, aut *duplici litera*, fed *finplici* terminatur *confonante*; disfonum *e*, et *a*, quamtumuis antiquum, elidito; atque pro *írani*, *nézeni*, pronunciato *írni*, *nézni.* Verba tranfitiua in *ít* fingunt dupliciter, in *ani*, uel *eni*, et *ni*: *újjítani*, *fzépíteni*, et *újjítni*, *fzépítni.* Sed prius longe frequentius. Ea uero, quae in duplicem confonam exeunt, poffunt etiam *reliqua tempora duplici modo* fingere. His adde, *fzól*, *befzél*, uulgo *fzóll*, *befzéll*: *fzólni*, *befzélni*, *fzólani*, *befzéleni*; *fzólt*, *befzélt*, *fzólott*, *befzélëtt*; *fzólna*, *befzélne*, *fzólana*, *befzélene.* Adde his uerba in *log*, *lëg*, *lög*, *lyog*, *lyëg*, *lyög*, *nog*, *nëg*, *ng*, *rog*, *rëg*, *rög*; item *ol*, *el*, *öl*; praecipue uero in *mol*, *mël*, *rol*, *rël*: *omolni*, *omlani*, përëlni, përleni; forogni, forgani; zënëgni, zëngeni; *könyörögni*, *könyörgeni.* Vltima radicalis anomalorum in *fz*, cum incremento *ni* confonat, *binni*, *lënni*, *tënni*, *vënni*, *ënni*, *inni*.

